DE SANCTI AVITI VIENNÆ EPISCOPI OPERIBUS

COMMENTARIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

VICTOR CUCHEVAL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

ad doctoris gradum promovendus.

PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM,

Via dicta des Grès, 7.

MDCCCLXIII

DE SANCTI AVITI VIENNÆ EPISCOPI OPERIBUS

COMMENTARIUM

Parisiis. — Ex typis Hennuyer et filii, via dicta du Boulevard, 7.

DE SANCTI AVITI VIENNÆ EPISCOPI OPERIBUS

COMMENTARIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

VICTOR CUCHEVAL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

ad doctoris gradum promovendus.

PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM,

Via dicta des Grès, 7.

MDCCCLXIII

OPTIMO ET CARISSIMO SOCERO

L.-A. PRÉTET

PII AMORIS PIGNUS

DE SANCTI AVITI VIENNÆ EPISCOPI OPERIBUS

COMMENTARIUM

PROŒMIUM.

Neminem fugit quantam personam episcopales viri, quinto post Christum sæculo, in Gallia sustinuerint, quum devictarum gentium patroni et defensores, tum barbaricæ feritatis et Ariani erroris expugnatores fortissimi. Nonnulli etiam, derelictam a cunctis litterarum provinciam usurpavere, et condendis sacris sive profanis carminibus operam dederunt. Inter hos eminet *sanctus Avitus Viennæ episcopus*, qui, exeunte quinto post Christum sæculo et incipiente sexto, apud Gundobadum Burgundionum regem et arianæ hæresis fautorem vixit, et qui, religionem quam vel libris, vel homiliis vel epistolis tuitus erat, versibus quoque celebrandam curavit. De quo jam dicetur.

CAPUT I.

SANCTI ALCIMI ECDICII AVITI VIENNENSIS EPISCOPI VITA.

Quum de Aviti vita nihil ad nos pervenerit præter codicem quemdam ms. viennensem, qui plura absurde quam sane refert[1], ex ipsius episcopi operibus haurienda sunt quæcumque nobis novisse licet, atque hinc aut illinc[2] colligenda vel minima quæque, per quæ non stabit, si in fasciculi morem ea conjunxeris, quin præcipua beati episcopi gesta, quantum satis, cognoscamus.

Alcimus Ecdicius Avitus annum circiter 451 natus est, genere patricio, familia arvernensi, patre et avo senatoribus romanis : ipse eadem dignitate se ornatum fuisse adeo non negat etsi episcopus, ut in epistola Fausto et Symmacho senatoribus Urbis scripta[3], senatoris romani, in alia Apollinari fratri episcopo missa[4], senatoris catholici nomen ultro usurpet, illudque etiam in poemate *De laude Virginitatis*[5] pro familiari titulo vindicet.

Ipsius pater Isicius vel Hesychius ex uxore Audentia quatuor liberos, duos autem filios quorum minor Avitus,

[1] Ejus codicis auctor Adone junior est et ex ejus Chronico plurima descripsit.

[2] Præcipue e Gregorii Turonensis *Historia Francorum*, lib. II; ex Adonis Viennensis episcopi Chronico ; e collatione episcoporum præsertim Aviti Viennensis episcopi, coram rege Gundobado adversus arianos.

[3] Epist. XXXI.

[4] Epist. XXV.

[5] *De laude Virginitatis*, vers. 650, 651.

major vero Apollinaris Valentiæ episcopus[1] fuit, duasque filias[2] genuerat. Postea tamen ab ea discessit, ut pie casteque viverent ambo, et ad episcopalem Viennæ sedem, mortuo beato Mamerto, evectus est.

Jam alii ex eadem familia viri, sacerdotii munera, forsitan Viennæ quoque, erant amplexi : quod ipse Avitus his versibus testatur, Fuscinæ sorori missis :

> Non *atavos* jam nunc tibimet *proavosque* retexam,
> Vita, sacerdotes quos reddidit inclyta dignos :
> Pontificem sacris adsumptum respice patrem :
> Quumque tibi genitor, vel *avunculus* undique magni,
> Post fasces placeant populorum sumere fascem[3].

Qui fuerint isti *atavi proavique*, quos hoc obscuro nomine signat Avitus, ignotum. Forte autem, hoc *avunculi* vocabulo notatur Sidonius Apollinaris, Augustonometi episcopus. Etenim nobilissima Aviti familia ex illo Avito senatore arvernensi et ad imperium romanum, adjuvante Theodorico Visigothorum rege, evecto, orta esse videtur. Cujus principis filiam duxerat Sidonius[4] : huic autem affinem se esse jactat Avitus dum, epistola Apollinari Sidonii filio

[1] *Adonis Viennensis episcopi in Chronico œtate sexta :* « Avitus « Viennensis episcopus, eloquentia et sanctitate præcipuus et ejus frater Apollinaris Valentiæ episcopus miraculis insignis, Isicii senatoris « primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina, clarissimi « filii. »

[2] E duabus Aviti sororibus major natu in juventa obiit. Quam novimus tantum epistola XI, in qua Apollinaris episcopus de celebrato Viennæ defunctæ sororis anniversario loquitur, et Aviti ad eumdem responso (epist. XII). Minor natu autem Fuscina ex ortu religiosæ vitæ devota est. Hujus gratia Avitus carmen *De Virginitatis laude* composuit.

[3] Poema *De laude Virginitatis*, vers. 655.

[4] Gregorius Turonensis, II, XXI : « Sidonius vir secundum sæculi « dignitatem nobilissimus, et de primis Galliæ senatoribus, ita ut filiam « sibi Aviti imperatoris in matrimonio sociaret. »

missa, eum prius proditionis insimulatum, postea vero insontem ab Alarico rege nuntiatum esse his verbis lætatur[1] : « Animum namque, ut ait vester poeta, subiit cari « genitoris imago, ut memoria retractavi, usque ad nostras « quamlibet dispari professione personas, quamdam *paren-« tum communium* sortem parilitate laborum invidia exse-« quente perduci. Illa tamen in Dei nomine etiam nobis « suppetit quæ illis consolatio fuit : quod toto æmulorum « nisu, toto circum latrantis undique livoris dente tentato, « quotiescumque appeti visa est, criminationi subjacuit « *familia nostra*, non crimini. »

Pari nobilitate, si ad feminas respexeris, erat Avitus qui ad Fuscinæ sororis memoriam revocat mulierum illustrium et Severianæ et Aspidæ, Fuscinæ et Euphrosynæ quum nomina, tum virtutes, dum studet earum exemplis illam ad obeunda castissime religiosæ vitæ officia adhortari.

Ubi, apud quem institutus fuerit Avitus et educatus nos præterit : at eum Viennæ baptizatum fuisse a sancto Mamerto constat, quem ipse prædecessorem suum et spiritalem a baptismo patrem nuncupat[2]; et in eadem urbe doctrinæ stipendia esse emeritum credere non absurdum est, quum, hoc in loco circiter hæc tempora floruerit, et litterarum ludum exercuerit inclytissimus rhetor Sapaudus. Hoc aut quolibet alio magistro usus, probatissimos veteris Romæ scriptores et maxime poetas evolvisse et perdidicisse videtur; quippe qui versus elegantes condiderit, Virgiliumque ultro sectetur, et ipsis in epistolis et in carminibus Maronis et aliorum verba versusque sæpissime adhibeat.

Qui virginitatis laudes in longo poemate cecinit, eam non servavit ipse, quum liberos ex se genuisse confiteatur.

[1] Epist. XLV viro illustri Apollinari.
[2] Homilia de Rogationibus.

Quæ fuerit autem illius uxor, ignotum : at illum non jam adepto episcopatu, priusquam autem sacerdotii munera amplecteretur, eam duxisse, et deinde ea abstinuisse, verisimile est, ut ipsius pater egerat, ut plurimis ejusdem temporis episcopis mos erat agere. Attamen aliquid vitii (quid sit autem, nescimus) in procreandis liberis fuisse testantur ipsius Aviti verba sequentia, quibus non esse sibi formidini contendit minas cujusdam viri, quem virgine Deo devota abusum severe objurgaverat[1] : « Quocirca licet diversas in « me iterum flammas evomat, et ad romanæ forsitan Ec- « clesiæ audientiam vocet, et si adhuc placet, etiam filios « habere me dicat, nec minas suas assentatione placabo, « nec fatigationes itinerum verebor, qui civicis criminibus « in patria plus fatigor, *nec multos filios habere* me negabo, « qui *unum* ex *eis* peperisse jam doleo. »

Utcunque res se habeant, mortuo patri Isichio Viennæ episcopo, circiter 490, Avitus successit, annos quadraginta natus, et assidua sanctæ Scripturæ lectione, singularique fidei catholicæ studio, ad dura pontificatus munia ita bene formatus et institutus, ut mox inter omnes inclaruerit et quasi novus Ecclesiæ Pater eminuerit.

Erat enim Avitus, ut usurpentur priscorum scriptorum verba, « fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio « acerrimus, sacrarum litterarum expositor suavissimus, « litterarum et secularium doctissimus, et in metris facil- « limus[2], » necnon pietate ardens, misericordia erga pauperes et captivos præclarus, mitis ingenio et mansuetus dum tantum « mœstos solari, cunctantes fovere, certantes « placare, jurgia dissolvere opus est[3], » at ita veritati adstrictus, ut « impios, hortatu, ingenio, monitis meritisque

[1] Epist. XLIX.

[2] Agobardus Lugdunensis episcopus adversus legem Gundobadi.

[3] Epitaphium beati Aviti.

« subigeret[1], » in hæreticos fortiter inveheretur, ipsosque principes Arii fautores, omisso propriæ salutis respectu, lacesseret ultro, ad verumque Deum revocare tentaret interritus.

Quum enim sub rege Gundobado ariano errori adstricto viveret, periculum erat ne regis animum, salva sua fide offenderet, aut fidem suam illæso rege imminueret : neutrum autem evenit. Nempe Gundobadus qui ingenio erat mitis, et colloquiis inter catholicos et arianos episcopos habitis adesse æquo animo consueverat, Aviti libertatem adeo non ægre tulit, ut illum maximi semper fecerit. Non autem se convertendum ei præbuit, licet Avitus multa sæpissime fuerit conatus, disputantemque regem convicerit erroris, nutantem hærentemque gravissimis etiam verbis nonnunquam objurgaverit, præcipue quum Gundobadus errorem suum confessus, timens autem ne, si converteretur, rebellarent Burgundiones, ut clam chrismaretur, ab eo expetivit[2].

Quum autem, ubi ad inspiciendas Aviti epistolas ventum erit, in partes rem digerere et copiosius perpendere nobis sit in animo quanto studio Avitus et quam variis artibus convertere Gundobadum sit conatus, et ceteris sacerdotii sui muneribus perfunctus, nunc tantum pauca ejus vitæ gesta quæ per epistolas innotuere, breviter et summatim attingamus.

[1] Epitaphium beati Aviti.

[2] « Tu vero, quum sis rex et a nullo adprehendi formides, seditionem « pavescis populi, ne Creatorem omnium in populo fatearis. Relinque « hanc stultitiam, et quod corde te dicis credere, ore profer in plebe... « metuens enim populum, o rex, ignoras quia satius est ut populus « sequatur fidem tuam quam tu infirmitati faveas populari?... Nam « Deus non irridetur : nec enim diligit eum qui propter terrenum « regnum, eum non confitetur in sæcula... » (Gregorius Turonensis, II, xxxiv.)

Non enim omittendum est qualem se erga italicos captivos, annum circiter 494, gesserit. Medio scilicet Theodorici Ostrogothorum regis adversus Odoacrum bello, et præcipue dum dura obsidione Ravenna cingebatur, Burgundiones repetitis incursibus Liguriam ita populabantur ut innumeros secum captivos abducerent. Cujus regionis calamitatibus permotus Theodoricus, sanctum Epiphanium[1] Ticini episcopum Gundobado misit qui captivos redimeret; at quum Epiphanius cunctos exsolvere deficiente pecunia non posset, Avitus, contracta sua et amicorum pecunia unde quam plurimos vindicaret in libertatem, a Gundobado efflagitavit impetravitque ut reliquos ad sex millia gratis dimitteret.

Aliquot annos post (499), quum arma nec occulte adversus Gundobadum pararet Chlodovæus Francorum rex, cui jam Avitus conversionem epistola memorabili 496) erat gratulatus[2], catholici Burgundiæ episcopi, seu data imminentis belli occasione, seu solo fidei studio impulsi, a Gundobado petiverunt, qui tum Sarbiniaci morabatur, ut arianos convincendi colloquio licentiam ipsis faceret. Quibus annuit Gundobadus; et, ipso adstante, habita est crastina die Lugduni hæc collatio. Qua in occasione Avitus, licet nec ætate nec sede episcopali præstaret, ab universis tamquam eloquentissimus est electus, ut communem catholicorum causam patronus defensorque diceret. Quam quidem adeo facunde et diserte tractavit « faciem habens « angelicam tanquam et sermonem » ut regem ejusque oratores ad silentium redegerit (ita saltem rem se habuisse vetus scriptor refert), et quamvis in errore perstaret Gun-

[1] Ennodius, e *Vita sancti Epiphanii*, cujus et ipse comes fuerat. Insuper epistola VIII Aviti Eustorgio Mediolani episcopo et ejusdem epistola X Magno episcopo.

[2] De hac epistola copiosius dicetur cap. III.

dobadus, plurimos adstantes ad veram fidem converterit [1].

Ceterum, quum his temporibus ariana pestis quæ Orientem quondam invaserat, quasdam Italiæ regiones, regnante Theodorico, et Galliæ fere majorem partem corrumperet, illam tam assidue et constanter orationibus scriptisque Avitus impugnavit ut per Galliam brevi celebratus fuerit tanquam acerrimus et facundissimus hæresis adversarius.

Maxima igitur lætitia exsultavit Avitus, quo die Sigismundus, Gundobadi filius et regni hæres, arianum errorem detestatus est, et fidem est amplexus catholicam. Quanto gaudio, Remigii instar, ferum barbarum jussit colla submittere! Quantasque Deo gratias egit, quum parentis exempla secuti, ipse Sigismundi filius Segisricius, et parva admodum soror, se convertendos ei præbuerunt, gentilitium errorem deposituri [2]! Fractam enim et mortali vulnere ictam attritamque, nec falso, sentiebat hæresim, quam per tot annos sine intermissione erat aggressus. Metuens autem ne prosperis rebus vitiaretur catholica fides quæ in adversis integra permanserat et pura, non commisit ut securitate torpesceret sua. Ideo a Sigismundo rege, quem continuis confirmabat epistolis, impetravit ut concilia provinciæ quæ in priore Ecclesia quotannis, biennio saltem haberentur. Hinc in sua diœcesi, concilium Epaonense, in quod plurimi convenere episcopi, præses summus rexit.

Priori concilio Lugduni habito jam affuerat Avitus, non autem ei quod sub Sigismundo rege, de excommunicando Stephano qui « defuncta conjuge, sororem uxoris suæ sibi « illicito consortio copulaverat [3], » factum est. Etenim ejus

[1] Collatio episcoporum adversus arianos (Sirmondi opera, in-folio; 1690, Parisiis).

[2] Nihil, excepto titulo, exstat ex homilia quam hac in occasione Avitus habuit.

[3] Ms. Codex viennensis.

nomen inter episcoporum nomina non invenitur quos Sigismundus, Stephani amicissimi partes amplexus, exsulare Sardiniam jussit. Itaque nec ea potuit rerum miracula effingere quæ simplex narrat historiarum scriptor, nec aquam per sarculum, medio æstu e terra elicere, nec febrem regis iræ pœnas morbo dantis, commodata cuculla rogante regina levare (Bollandi. V febuario).

Tristiora autem at veritati magis consentanea quæ de Sigismundo feruntur. Nempe iste princeps cujus pium animum Avitus tantis celebraverat laudibus, a quo nuper impetraverat ut monasterium Agaunense instauraretur et veræ fidei restitueretur [1], patriam immanitatem adeo non exuerat ut filium Segisricium levissimis causis occidi jusserit (522). Notanda sunt Gregorii Turonensis [2] verba quo facilius intelligatur qualis esset iste Sigismundus de quo in melius mutato Avitus tantopere gloriabatur : « Una solen-
« nitatum die, quum puer (Segisricius) super eam (novam
« Sigismundi uxorem) vestimenta matris agnosceret, com-
« motus felle diceret ad eam : Non enim eras digna ut hæc
« indumenta tua terga contingerent, quæ dominæ tuæ,
« id est matris meæ fuisse noscuntur ! At illa, furore suc-
« censa, instigat verbis dolosis virum-dicens : Hic iniquus
« regnum tuum possidere desiderat, teque interfecto, usque
« in Italiam dilatare disponit, scilicet ut regnum, quod
« avus ejus Theodoricus [3] Italiæ rex tenuit, et iste possideat.
« Scit enim quod, te vivente, non potest id implere, et nisi
« tu cadas, ille non surgat. His incitatus..... sopitum vino
« dormire post meridiem filium jubet, cui dormienti lorum
« sub collo ejus positum ac sub mento ligatum trahen-

[1] Hac in occasione homiliam habuit cujus prima tantum verba ad nos pervenerunt.

[2] Gregorius Turonensis, *Historia*, III, v et vi.

[3] Per matrem Amalbergam Theodorici filiam.

« tibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est. Quo « facto, pater sere jam pœnitens, super cadaver exanime « ruens, flere cœpit amarissime. »

Pœnitentem igitur regem et scelus suum in monasterio Agaunensi exsecrantem, consiliis, adhortationibus, solatiisque adjuvit Avitus, et Lugdunum redire jussit. At huc reversus est, ut ait Gregorius Turonensis, « ultione divina « e vestigio eum prosequente. » Duobus enim post annis occisus est a Chlodovæi filiis (524), et Burgundia Francorum ad breve tempus facta est.

Sigismundi mortem « vehementer doluit[1] » Avitus, non diu autem alumno suo superfuit. Raptum enim deflens principem quem ad meliorem fidem revocaverat et in quo maximas de religione spes reposuerat, malaque lugens quæ procellæ more in Burgundionum regnum irruperunt, quinto februarii mensis die, anno 525, quatuor et septuaginta annos natus, a vita decessit, ejusque festum illo quo mortuus est die celebrat memor Ecclesia[2].

[1] Adonis ex Chronico.

[2] « Sepultus est Viennæ in ecclesia Apostolorum, ad sinistram par« tem domus, in capite longioris maceriæ (Codex ms. viennensis.), hoc inscripto epitaphio quod antiquissimum et certissimum de eo testimonium subscripsimus :

Quisquis mortificum tumuli dum cernis honorem,
Cespite concludi totum deflebis Avitum,
Exue sollicitas tristi de pectore curas.
Nam quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin propice sancti
Gesta viri. Primum florescens, indole quanta
Spreverit antiquo demissos stemmate fasces,
Maturum teneris animum dum præstat in annis,
Et licitum mundi, voti virtute relegat.
Nec mora, pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat ut soliti felicia cœpta laboris.
Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris

Erigitur, seque ipse aliis plus æstimat, imo
Subjicitur magnus, servat mediocria summus.
Distribuit parcus, pascit jejunus, amando
Terret, et austeris indulgentissima miscet.
Cunctantes suasu juvit, solamine mœstos,
Jurgia dissolvit, certantes fœdere junxit.
Dissona veridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis meritisque subegit.
Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus similis, nullusque poeta,
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia sæcula vivet.

CAPUT II.

DE AVITI HOMILIIS ET OPERUM FRAGMENTIS.

Quum inter maxima priscorum episcoporum officia esset, non modo fidem adversus hæreticos catholicam tueri, sed etiam populos, aut, ut verba Aviti usurpem, oves suas religionem edocere, præcipue studuit Avitus, ut sermones homiliasque de fide sæpissime in publico haberet. Idcirco, quotiescunque solemne quid, redeunte anno revertebatur, aut festa dies incidebat, apud populum episcopus verba faciebat, nec parva erat apud æquales eloquentiæ æstimatio. Permulti enim episcopi ab eo sæpe petebant ut in ipsorum basilicis concionaretur. Ipse testatur apud populum lugdunensem in dedicatione basilicæ dixisse; necnon adsunt homiliarum tituli quibus constat in variis et locis et temporibus, ut in dedicatione basilicæ Genevæ, in basilica sancti Petri apud Tarantasios, in basilica sanctorum Agaunensium, in instauratione ipsius monasterii vel passione martyrum et alias, esse locutum.

Plures autem reperire est sermonum titulos quos in diœcesi habuerit. Hi omnes vel ad edocendos fidei ritus vel ad explicandos sacros libros spectant. Scriptas fuisse has homilias testatur Gregorius Turonensis, librumque unum homiliarum ipsius tempore exstitisse[1]. Idem his verbis asserit Avitus in carminum Proœmio : « Paucis homiliarum « mearum in unum corpus redactis, hortatu amicorum di- « scrimen editionis intravi. » Inde conjicere licet, plurimas,

[1] Gregorius Turonensis, II, xxxiv.

vel ante carminum libros, vel iisdem jam editis, pronuntiatas fuisse nec editas.

Quæ fuerit Aviti eloquentia ex duabus orationibus quæ ad nos pervenerunt integræ, et præsertim ex ipso homiliarum nomine judicandum est.

Etenim, præceptum unum quod auditores religionem suam doceat, arripit, tractat, penitusque exhaurit. Quum sanctas Scripturas diutius pervolverit et didicerit, et in se ipsum, ut ita dicam, frequenti usu quasi infuderit, ita loquitur ut, quibus ipse in intimo corde sensibus, iisdem audientes imbuantur, et e Dei templo egrediantur doctiores et ad persolvenda sua officia promptiores. Verum et sincerum scilicet adimplevit homiliæ nomen qui cum suis auditoribus *convenerit*, et *sermonem* cum illis non concionem apud illos habuerit.

Quod si ad verborum compositionem respicias, in elocutione plurimum peccasse Avitum confitendum est. Jam diu effluxerunt exculta latini sermonis tempora, nec usquam reperire est etiam beati Augustini elegantem nec inconcinnam etsi barbaram aliquando altitudinem. Jam nunc in media Gallia, inter Francorum immanitatem et Ostrogothorum feritatem, in ipso Burgundiorum regno, sexto post Christum natum sæculo vivimus et movemur. Non apud eruditos auditores in his perpolitis Lugduni aut Massiliæ prioribus scholis informatos, sed apud barbaros totam morum et linguæ patriæ rusticitatem nondum oblitos, loquitur Avitus. Non igitur vituperationem subit qua sui temporis pontifices insectabatur Vincentius Lerinensis, quod non simplici at elegantiore et absconditiore sermone in orationibus suis uterentur, ita præcipiens : « Disciplinatum et gravem debere esse sermonem pontificis, ut in omnium audientium « pectus cum quadam delectatione descendat [1]. » Itaque

[1] *De vita contemplativa*, XXIII.

eodem sermone quo auditores, utitur Avitus, nec pompam verborum curat quæ Viennenses effugeret, sed linguam eorum auribus aptam, ab omnibus usitatam adhibet, et, dum quæ velit dicere, quisque intelligat, operæ pretium fecisse arbitratur. *Liceat* ergo *solœcismos fecisse* episcopo qui barbaros vel rusticos edocet, liceat verba nova et fera apud novos et feros usurpavisse : liceat exclamasse :

Barbarus *hic* ego sum quia *sic* intelligor illis ;

liceat maxime ad ea verba confugisse, quæ novæ religionis disciplinam et præcepta quæque aptissimo modo et eodem utilissimo explicare valerent.

Non tamen deest quoddam bene dicendi studium, non desunt ornamenta, sed ambitiosa plerumque et subtiliora quæ oratori his in temporibus loquenti non vitio sed laudi sunt vertenda. Multo etiam præstat Avitus ceteris hujus ætatis scriptoribus : quem si cum Ennodio comparaveris, non absurdius videbitur eum ab utriusque æqualibus cum ipso latinitatis magistro Cicerone fuisse collatum. Etenim interdum contendit, ut e barbarie sese expediat, et ad urbanitatem et elegantiam sese evehat, at sæpissime irritos cecidisse conatus suos luget, communi rusticitate obrutus. Non absimilem eum misero cuidam esse dicas qui in paludes lutosas « sensit delapsus » et e cœno plantas evellere nititur ; at dum alteram sublevat, alteram altius immergit, virgultisque et arundinibus undique premitur. Cui si res ita bene feliciterque vertit, ut paludem egrediatur, limosus totus et luto circumstante horridus, ægre excedit.

Attamen aliquot auditores reperire erat, qui, nisi rectum judicium aut probæ linguæ scientiam et consuetudinem, at parum facilem aurem dicenti afferrent. Exstat enim Aviti ad rhetorem quemdam Viventiolum epistola[1] qui cum

[1] Epist. LI. Homilia de qua agitur interiit.

accusaverat, in homilia qua ad populum lugdunensem in dedicatione basilicæ fuerat concionatus « in barbarismum « incurrisse. » Culpam non illepide excusat Avitus quum, ipsi « si qua in annis viridioribus fuerint litterarum studia, « omnia ferat ætas, » et castigantem sua vice ignorantiæ arguit. Nempe Viventiolus Avitum reprehendebat quod *potitur* media longa syllaba dixisset, Virgilium in hoc verbo scilicet non secutus, qui syllaba ipsa correpta usus est dicens : « Vi *potitur*[1]. » Ut vero se tueatur Avitus, exemplum ipsius Virgilii prætendit, Maronemque ultro incusat in quibusdam locis syllabarum naturam, poematis necessitate et artem minime secutum, invertisse, quale illud : « *Non eri-* « *mus regno indecores*[2], » vel : « *Fervere Leucaten*[3] », et addit : « Nullus litteratorum inficias ierit, productas naturaliter « penultimas syllabas ab oratore ponendas. Virgilius usus « licentia poetarum, secundum ea quæ supra diximus, cor- « ripiens mediam syllabam præsumpsit, id est *potĭtur.* » Mox Avitus ipsum *potiri* verbum arripit, additque, quum secundæ personæ media sit longa, *potīris*, personæ tertiæ, id est *potitur*, media similiter longa sit necesse, ut *sortior, sortīris, sortītur, potīrer, potīreris, potīretur*[5]. « Ceterum, si

[1] *Æneis*, III, vers. 56.
[2] *Æneis*, VII, vers. 231.
[3] *Æneis*, VIII, vers. 677.
[4] *Æneis*, VI, vers. 513.
[5] His verbis utitur in Codice suo Quicherattius : « Secundam perso- « nam instantis non reperio, sed quum Servius ad *Æneidos* III, vers. 56, « damnet *potiris*, tacite probare videtur *potĕris* ut *orĕris.* »
Simili ratione sæpius usurpatum est pro *potireris* vel *potiretur potĕreris* et *potĕretur* : quale hoc Ovidii :

Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.

(Adde Auso. epist., *Her.*, XXXV, 4 ; Catullus, 64, 102 ; Val. Flaccus, VII, 54.)

« tertiæ personæ ut *potĭtur* brevem ponas, idem facere co-
« geris et secundæ, ut *potĕris* dicas quod utique ab omni
« exemplo atque usu integritas latinitatis excludit. »

Necnon maligniter et ingeniose ipsius Virgilii exemplum objicit dicentis : « Ausoque potiti[1]. » Et a Viventiolo petit ut rationem quam sequi debeat, rescripto exponente, iste tradere velit.

Ex illa epistola apparet, nempe

> Non nostrum inter *eos* tantas componere lites,

auditores nonnullos fuisse qui non unice ad sancta religionis præcepta, sed etiam ad orationis artem numerosque animum intenderent, et ita delicatis, etsi immerito, fuisse auribus ut offenderentur utrum produceretur ab oratore syllaba an corriperetur.

Præterea, nonne mirandum est, lingua jam ita vitiata, ut latinitas novis et feris verbis aucta, priscis et indigetibus spoliata, barbarismis horrida et solœcismis, vix intelligi, imo agnosci possit, ipsum pronuntiandi genus et tenorem et prosodiam pæne integra permansisse, ut qui verbis pravis non offenderetur, idem insueto sono læderetur et dicentem accusaret erroris? An sonus, sermonis scilicet forma extranea, habendus est tanquam linguarum vis propria, quæ, dum cetera intereunt vel invertuntur, diutius permanet sincera vel paulum immutata? Anne validæ arboris trunco conferendus est qui, dum prisca cadunt folia et rami, novaque subeunt, manet æternumque manebit, et, ut proavos quondam, ita nepotes, sua olim operiet umbra?

Permulta supersunt homiliarum fragmenta quæ servavit Codex Flori Diaconi ecclesiæ lugdunensis. At quum iste

[1] *Æneis*, VI, vers. 624.

sancti Pauli epistolas, ex veterum aliquot Patrum[1] scriptis exponere aggressus esset, eas tantum ex Aviti homiliarum libro sententias excerpsit in quibus Avitus Pauli verba usurpaverat. Unde fit, ut hæc fragmenta nihil hoc nostro studio dignum continere videantur.

At duæ tamen homiliæ permanserunt integræ quarum altera historiæ utilis, instituendarum Rogationum causas et occasionem et tempora refert. Quo anno istam Avitus pronuntiaverit, incertum est; at habitam fuisse ante exactum quintum sæculum conjicere licet, quum hæc institutio ab anno 473 circiter cœperit, et multos Viennenses Rogationum condendarum causam et originem memoria servare asserat Avitus in oratione sua[2].

Narrat enim incendia crebra, terræ motus assiduos, nocturnos sonitus, feras silvestres, aut saltem ferarum species ludificantes oculis et usque in mediam urbem incursantes, ex longo tempore animos omnium ita terruisse ut grave et portentosum quid jam imminere existimaret quisque; at, quum festa dies Pascha appropinquaret, laborum opem, malorumque finem cunctos exspectavisse. Longe aliter vero res sese habuisse; in ipsa scilicet vigiliarum nocte, adstante in ecclesia frequentissimo populo, ædem publicam terribili incendio conflagrasse, diffugisse cunctos, terrore trepidos, sibimet et fortunis commune malum metuentes. Perstitisse solum coram festivis altaribus Mamertum Viennæ episcopum et ita supplicibus votis Deum oravisse ut mox incendii vis compressa fuerit, populusque in basilicam modo vacuam gratissimus redierit. Hinc antistitem Roga-

[1] Hæc *Flori magistri* expositio in epistolas sancti Pauli, ex decem omnino Patribus delibata est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paulino, Leone papa, Fulgentio et Avito.

[2] « Et quidem terrorum temporis illius causas multos nostrum recolere scio. »

tionum instituendarum consilium animo concepisse et celebrandarum causa, elegisse triduum inter diem dominicam et solemnem Ascensionis sacræ cultum. Inde istam institutionem adoptavisse nonnullos primum, mox universos Galliæ episcopos, postea totum pæne orbem terrarum, et postquam primum omnia a Mamerto instituta psalmorum officia imitati essent, diversa autem tempora servassent, paulatim idem triduum ante festum Ascensionis esse quoque secutos.

Avitum non vana hic jactitasse plurima demonstrant. Ita enim ipsi Mamerto, quum in eo essent Gothi ut Arvernorum regionem invaderent, scribit Sidonius Apollinaris : « Solo « tamen invectarum te auctore Rogationum palpamur auxi- « lio : quibus inchoandis instituendisque populus Arver- « nus, etsi non effectu pari, affectu certe non impari cœpit « imitari, et ob hoc circumfusis necdum dat terga terrori- « bus [1]. » Idem testatur concilium Lugdunense secundum, quod ad omne Burgundiæ regnum pertinet, canone sexto, quo jubetur Litanias Rogationum ante Ascensionem Domini sancti in triduo ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrari. Eadem præcipit canon septimus et vicesimus concilii Aurelianensis primi, quod anno 511 habitum est et ad Francorum regnum totum spectat.

Ex ista Rogationum origine constat eas non unice institutas fuisse, quod vulgo creditur, ut prosperæ fruges a Deo impetrarentur ; at eorum finem tum fuisse ut precibus assiduis, lacrymis, jejuniis et eleemosynis placaretur Deus, et fidelium peccatis ignosceret, iræque suæ flagella a supplicibus amoveret : postea tantum accidisse, ut, non ea modo, sed aeris et corporum salubritas, et fecunda tum pluvia, tum siccitas, frugumque ubertas a summo numine peterentur.

[1] Sidonius Apollinaris, lib. VII, epist. I.

Altera autem homilia quæ integra ad nos pervenit et de Rogationibus habita est quoque, priore longe inferior est. Ea explicantur tantummodo nonnulla prophetæ Amos loca e quibus præcepta haurit Avitus quæ ad rectam probæ vitæ rationem christianus quisque adhibere debeat.

Multa exstant fragmenta homiliarum vel Rogationum causa vel aliis in occasionibus habitarum, quibus demonstratur quo docendi populos et ad Dei amorem adducendi studio flagraret Avitus. Breviora autem sunt quam ut quid ex his excerpatur, exceptis tamen quæ *de ordinatione episcopi cujusdam* est concionatus. His enim in illos invehitur qui episcopatum turpiter appetebant, et dum pravos ambitus objurgat, illo testatur malo jamdiu sacrorum honorum affectationem laborare. « Jam quid, exclamat Avitus, « de illis dicatur quos pretiositatem gratiæ, pretii vilitate « mercantes, usque ad jacturam pecuniæ, verecundiæ jac- « tura producit? quorum acclamationibus militant con- « ducta mendacia, quorum prurientes scalpentibus præco- « niis aures mercenarius clamor inflammat. Quique non « reminiscentes Simonem Magum divini muneris dispen- « sationem pretio voluisse mercari, cum pecunia sua non « in sacerdotium sed in interitum deputantur... Si quis « episcopatum appetit... si districtus esse voluerit, legat *non* « *percussorem* (episcopum esse debere); si humanus, *non* « *vinolentum;* si sobrius, *non avarum;* si subditus, *non* « *abjectum;* si servus, *non elatum;* si misericors, *non re-* « *missum;* si terribilis, *non cruentum.* » Quæ novissima præcepta, sapientia quidem, ea tamen parte ad feram ætatem spectant, quum virum episcopum jubeant neque *percussorem*, neque *vinolentum*, neque *cruentum* esse.

Nunc ad ea Aviti opera respiciendum est quæ vel omnino perierunt vel brevissimis tantum fragmentis nobis sunt nota. Quæ plurima numero fuerunt et olim valde probata.

Gregorius enim Turonensis affirmat librum unum Aviti esse *De mundi principio*[1]. Agobardus Lugdunensis *De dialogo Aviti cum Gundobado Burgundionum rege* loquitur dicens : « Qui cum eodem Gundobado frequenter de fide « altercans et dialogos in præsenti conficiens, et epistolis « absenti respondens, plura et clara ingenii sui et virtutis « opera reliquit[2]. » Idem his verbis testatur Ado Viennensis : « Scripsit enim dialogum (adversus arianos) hæresim « illam oppugnans fidelissimo et doctissimo immortalique « ingenio, ad Gundobadum Burgundionum regem[3]. » Fiebant enim sæpissime de religione collocutiones sive cum Gundobado ipso, sive, illo præsente, cum ejus sacerdotibus, ut narrat Avitus epistola ad Sigismundum regem missa[4]. Has sine dubio Avitus nonnumquam rogante Gundobado litteris mandavit, vel catholicæ fidei opem laturus, scriptas edidit.

Ado Viennensis duos libros *adversus Nestorium* et *Eutychem* ab Avito scriptos memorat : « Item alios libellos « duos contra Nestorium et Eutychem auctores erroris « luculentissimo et castigato satis sermone (scribit)[5]. » At verisimiliter hoc nomine ab eo indicantur duæ epistolæ amplissimæ in quibus Avitus errores istorum apud Gundobadum diligenter impugnat. Quod manifestius etiam apparebit, si quis prolata ab eo nonnulla fragmenta versari in his epistolis animadverterit.

Avitus vero videtur librum unum *adversus phantasma* scripsisse, id est, adversus eos qui existimabant Christum non verum corpus, sed corporis tantum habuisse speciem,

[1] Gregorius Turonensis, *Historia Francorum*, II, xxxiv.
[2] Agobardus, adversus legem Gundobadi, n° XIII.
[3] Ado in Chronico ætate sexta.
[4] Epist. xxi domino Sigismundo.
[5] Ado in Chronico ætate sexta (loco jam citato).

qui Eutychianorum error communis est. Quem errorem Avitus epistolis secunda et tertia ad Gundobadum jam lacessiverat. Unum autem fuisse librum qui phantasma aggrederetur demonstrant fragmenta longissima duo quæ in epistolis supra dictis vix quæras.

Præterea *adversus Faustum* scripserat Avitus ut ejus erroribus de Christi gratia adversaretur. Monacus quoque Hariulfus, in primo et decimo sæculo quæstiones Alcimi Aviti de Pentateucho memorat, quas disjungi necesse est a quinque carminum libris quum Hariulfus easdem quæstiones cum sancti Cypriani, Hilarii, Hieronymi et Augustini quæstionibus de iisdem Judæorum libris conjungat.

Plures insuper operum titulos memorant varii in variis temporibus scriptores, at existimare licet eos diversas Aviti ad Gundobadum regem de religione epistolas aut diversa opera, diversis titulis notavisse ita ut plurima opera non ab illo scripta, illi attribuerent, dissimilibus vero nominibus, ut scriptoribus opus, eadem signarentur.

CAPUT III.

DE AVITI EPISTOLIS.

Plura sunt epistolarum genera. Unum est, si cui scribenti, suas epistolas in lucem posterius edere et omnibus communicare jam est propositum : quas auctor studiose tractat, non tantum, ut amicum, cui inscriptæ sunt, res recenter actas vel varios rumores edoceat, sed etiam ut ejusdem primum commoveat admirationem, deinde ceterorum plausus, fingendi arte et dicendi lenociniis consequatur. Eæ sunt Plinii Secundi epistolæ, jucundæ quidem et ingenio, elegantia et suavitate excellentes, sale suffusæ, sed etiam putidæ, ambitiosis ornamentis tumidæ et nimis exquisitæ. Protinus enim perspicuum est legenti, neque cum uno sed cum multis, neque cum amico sed cum lectoribus variis rem fuisse, neque ad Montanum vel ad Minucium tantum, sed ad eruditos omnes viros scriptorem epistolas misisse. Etenim vel levissimum aliquid, vel lectiuncula, vel lepide dictum factumve in narrationem extemplo convertitur callide et venuste scriptam, vel in philosophicam disputationem, aut tantum in sententiolas, pertritas et præposteras quidem, si ad unum tantum virum spectant, jucundas autem utilesque, quum inter lectores reperire sit qui ambitione aut avaritia, aut illo quod depingitur vitio, laboret.

Aliud autem genus epistolarum est quæ res vel civiles, vel bellicas, privatas publicasve agitant et ad unum perti-

nent. Eæ Ciceronis epistolæ. Quum ex tempore sint ortæ, breves sunt simplicesque, et earum oratio est acris, rapida, et, ut ita dicam, « nata rebus agendis. »

Sæpius vero accidit, ut hæc duo epistolarum genera in unum coalescant, et plurimus auctor scriptas de gravibus rebus litteras colligat ipse et in publicum proferat. At fatendum est, eum, quamvis uni scriberet, et unum varia edocere cuperet, alios etiam respexisse, et ita opus finxisse ut multis placeret, vel tantum eas elegisse quæ utiles universis aliqua parte futuræ essent. Eæ fuisse videntur Aviti epistolæ.

In primis christianarum rerum sæculis, multi epistolis componendis curam suam impendebant. Nec mirum : magnis enim regionum intervallis disjuncti episcopi necesse erat epistolis edocerentur quidquid apud ceteros in aliis orbis partibus ageretur, et quo rerum statu essent magnæ de religione quæstiones controversiæque; quisque alios de suæ provinciæ sorte, de principum populorumque animis, de fidei conditione rursus moneret, vel quærentibus responderet, vel dirimeret consultantium dubitationes; ita ut quidquid litteris mandarent, quum illi cui epistola inscripta, tum ceteris christianis esset utile.

Inde tot epistolarum volumina ab episcopis ipsis collecta. At vaniloquentia, ignoscenda quidem, cunctorum, etiam sanctissimorum animis molliter subrepit. Idcirco in eorum numero nonnullæ quoque inveniuntur minoris momenti, imo indignæ, si ad earum pondus respexeris, quæ servarentur, at quas magni faciebat auctor, quum eas maxima diligentia perpolivisset et orationis leporibus ornare esset conatus, ut legentes recrearet, et nisi utile dulci, at dulce utili misceret. His se eruditum, eloquentem, festivumque ostentare gestit, dum alibi, austeris et magni momenti rebus implicatus, minora negligit, et rerum pondus, non autem styli

elegantiam curat. Inde ad Plinii Secundi exemplum, qui plurimi his in temporibus fiebat, tot epistolæ, nullo servato rerum vel temporum ordine, animos incendendi gratia, dispositæ, hinc apud Symmachum et Sidonium Apollinarem tot volumina, quot musæ quondam fuerant, quot præsertim libros Plinius Secundus ediderat.

Avitus quoque epistolas suas in novem libros, ut ait Gregorius Turonensis[1], ipse diduxerat. Ex eis vero quatuor et octoginta tantum (si ex earum numero quatuor aliorum responsa ad Avitum detraxeris) supersunt, ita permixtæ indiscretæque, ut totius operis formam naturamque ex illis dijudicare liceat. Nonnullæ scilicet, vel ad reges de religione aut de rebus publicis, vel ad episcopales viros seu de fide, seu de theologicis quæstionibus, vel ad sodales, de litterarum cultu aut de levioris momenti negotiis sunt missæ. In multis quidem deprehenditur litteratus vir qui magniloquentiam aut venustatem affectat : in cunctis autem apparet qualis et quantus vir pro tempore fuerit Avitus, quanta viguerit etiam apud externos fama, et quanto studio Ecclesiæ tutelam, rectamque administrationem sit amplexus. His etiam multa de Ecclesiæ societatisque conditione et de rerum christianarum statu edocemur.

Nunc autem eas propius introspiciamus, quamdam dispositionem in his ipsis adhibere conati, quas de industria auctor mixtas confusasque edidit, nec cunctas amplexi at eas potissimum quæ ad rerum historiam pertineant.

I

Avitus catholicæ fidei defensor. Publicus gallicæ Ecclesiæ patronus.

Inter Aviti epistolas multæ sunt ad regem Burgundionum

[1] *Historia Francorum*, XXXIV.

Gundobadum missæ, quas hoc nomine signari vix conveniat, quum de theologia in eis unice disputetur, et eas librorum vocabulo appellaverit plurimus auctor, et inter Aviti libros reposuerit.

Nos autem hic esse impeditos et animi dubios confiteamur necesse est, quum nec nos de istis rebus controversias aggredi deceat, nec ii simus qui de illis religionis difficultatibus apte convenienterque disserere valeamus. Hos tantum sequamur, doctos scilicet Historiæ Litterarum gallicarum scriptores quorum maxima in talibus quæstionibus pollet auctoritas.

Etenim in prima quæ inscribitur epistola, quamque jubente Gundobado ad ipsum scripsit Avitus, « utrum « Spiritus sanctus creator an creatura credendus sit, » antistes docta argumentandi ratione et sanctis Scripturis fretus, Spiritum sanctum confirmat et divinum esse et creatorem, mox a Gundobado petit ut errores abjiciat suos, ne « suspendatur a professione quum jamdudum « in confessione teneatur. » Quod autem votum irritum cecidit, quum, quamvis Trinitatis æqualitatem, ut ait Gregorius Turonensis, confessus sit Gundobadus, et ut clam chrismaretur rogaverit, fidem conceptam noluerit publice profiteri.

In aliis epistolis (II, III), doctrinam Eutychis Avitus vehementissime impugnat, et scribendarum earum hæc, auctore Agobardo, causa fuit maxime miranda. Gundobadus scilicet, qui fidem catholicam in his rebus diligebat quæ arianorum doctrinæ non contradicebant, Eutychis errorem abolere aggressus, et imperatorem Anastasium, quocum erat maxime familiaris, ab eo sequendo avertere conatus, ab Avito petivit ut adversus Eutychis doctrinam validissima quæque colligeret argumenta.

Regi paruit Avitus, et rem ab omni parte expedivit,

prӕterquam quod Eutychi doctrinam Nestorii attribuit, negantis Mariam esse Θεοτόκον, sed Χριστότοκον esse tantummodo affirmantis, dum Eutyches Virginem Mariam jactaret esse nec Dei nec Christi matrem, quum carnem de cœlo Christus habuisset, nec ea fuisset illi a Maria ministrata. In alium autem errorem labitur Avitus quum religiosarum apud Grӕcos de Trisagio disputationum causas et originem narrat. Quum enim post hӕc verba ; Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, et ante : Ἐλέησον ἡμᾶς, a Foulone episcopo fuisset interjectum ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, populus vero rebellasset, existimat Avitus, sed falso, divinam naturam et Trinitatem a Grӕcis Christo negari. Nolebant contra hanc precem Trinitati addictam ita mutari, ut crucem et mortem passa esse tota videretur, hisque assentiebant qui aliud etiam addentes ita canebant : Χριστὲ βασιλεῦ, ὁ σταυρωθεὶς, etc.

Non incusandi, imo excusandi sunt isti et alii Aviti de hӕreticorum opinionibus errores. Non est ejus culpa, sed temporum, non viri, sed communis ignorantiӕ. Barbaris enim et feris gentibus circumdati episcopi, sua et prӕsentia tantum curare possunt et noverunt. Externa, quamvis ad religionem pertineant, ignorant omnino, vel falsis opinionibus immixta et vitiata accipiunt. Jamdudum effluxit docta Ecclesiӕ ӕtas, nunc subeunt rusticitatis et ignorantiӕ sӕcula. Has enim Aviti epistolas nullus e gallis antistibus reprehendit, nullus erroris arguit. Quin etiam admirabiles vocat Gregorius Turonensis additque : « Illas sicut tunc hӕre- « sim oppressisse, ita nunc Ecclesiam Dei ӕdificare[1]. »

Quibus in epistolis, si quidquid ad religionem pertinet, omiseris, licet tamen aliquid animadvertisse quod ad verbi *Missӕ* interpretationem spectat, illosque omnes prave

[1] Gregorius Turonensis, II, xxxiv.

judicasse demonstrat, hoc vocabulum non de latina sed de græca vel hebraica lingua flexum esse affirmantes.

Petit enim ab Avito Gundobadus[1] : « Quid vel unde « dictum sit verbum, « *non missum facitis?* » apud Mar« cum, cap. VII, v. 11; « vos autem dicitis : Si dixerit homo « patri suo aut matri *corban* tibi profuerit[2], et jam non « missum facitis quicquam facere patri aut matri. »

Respondet Avitus : « Hoc verbum non missum facitis, « nihil aliud est quam non dimittitis : a cujus proprietate « sermonis, in ecclesiis palatiisque sive prætoriis, missa « fieri pronuntiatur, quum populus ab observatione dimit« titur. Nam genus hoc nominis etiam in sæculariis au« ctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio « desueta subterfugit, invenietis. »

Hinc constat, hoc verbum nec externum nec exoticum sed latinum esse, et, quod nemo hactenus prodiderat, non in ecclesiis modo, verum etiam in palatiis prætoriisque usurpari nomen *Missæ* consuevisse, quum populus a conventu dimitteretur. Ab hac igitur missa seu missione populi, quæ re peracta fiebat, translata vox fuit ad significandas res ipsas quæ gerebantur. Nam et missæ matutinæ et vespertinæ appellatæ sunt liturgiæ seu solemnia officia, quæ matutinis aut vespertinis horis celebrabantur[3].

Cujus autem generis hoc verbum esset in principio, incertum est, utrum participium cum nomine subaudito, an nomen femininum. Hic vero verbum Avitus nominis more usurpatum esse tanquam missionem testatur.

Quinta ad eumdem Gundobadum Aviti epistola nos docet, illum regem tunc obitum filiæ deflere, quæ, regi de-

[1] Epist. I.

[2] *Corban*, id est, hebraica lingua, munus illud specialiter quod obsequio devotæ oblationis offertur (apud Avitum).

[3] Sirmondi notæ ad Avitum.

sponsa, et regina mox futura, paternis in ædibus ante nuptias decesserat. Quod vero vel sponsæ vel sponso nomen fuerit, silentio prætermittit. Quam quidem mortem non magno Gundobadum dolore oppressisse existimandum est, quamvis eum solari susceperit Avitus, quum idem asserat regem *flere pietate ineffabili funera germanorum*, id est Chilperici, Clotildæ patris, et Gundomari, quorum ipse auctor fuerat, et quum ista *pietas ineffabilis* non impediverit, quin tertium fratrem Godegisilum postea morti traderet Gundobadus.

Quam quidem epistolam Avitus, servandæ nominis famæ gratia, utinam non scripsisset ! Etenim licebat ei mortem puellæ deflere, et tritas vulgaresque ad patrem de filiæ acerbo exitu, rhetorum more, consolationes scribere ; non autem, tam fœda facinora ad memoriam revocare, imo laudibus extollere conveniebat. At, ne in reprehensione videar nimis acer, ipsum dicentem audiamus : « Flebatis, ait Avitus, « quondam pietate ineffabili funera germanorum, seque- « batur fletum publicum universitatis afflictio, et occulto « divinitatis intuitu, instrumenta mœstitiæ parabantur ad « gaudium. *Minuebat regni felicitas numerum regalium* « *personarum*, *et hoc solum servabatur mundo*, *quod suffi-* « *ciebat imperio*. Illic repositum est, quidquid prosperum « fuit catholicæ veritati ; et nesciebamus illud tunc frangi « tantummodo, quod deinceps nesciret inflecti. » Nonne hæc epistola tam insolita est ut pæne absurda videatur? Num sani et prudentis ingenii est hæc de germanorum nece inconsulte memorare? Num probum virum, imo episcopum decet, illi ipsi qui fratres suos, misera ambitione trucidaverat, hanc cædem quasi divini consilii prudentiam ostentare ? Non enim pro se tantum Avitus, sed, ut ipse ait, *pro dominis et conservis suis sacerdotibus* Gundobado scribit ; unde fit, ut non suo tantum, at cunctorum nomine tanta

facinora excusatione defendat. Fatendum est igitur Avitum in summam reprehensionem tunc incurrisse, nec ullam esse delicto veniam, quum, si qua necessitate coactus fuerit regem de filiæ morte solari, non esset necesse ita de fratrum sorte dicere ut illorum necem cruento fratri gratulari videretur.

Necnon plurimæ sunt Aviti ad Sigismundum regem, Gundobadi filium epistolæ. Earum autem longe alia est sententia. Maxima enim apud hunc principem gratia valebat Avitus, quem assiduis hortationibus impulerat ut fidem amplecteretur catholicam. Eum de rebus Christianis monet; modo memorat quæ cum arianis sacerdotibus, Gundobado præsente, disputavit, nec dissimulat se his controversiis nihil unquam profecturum[1]; modo rogat ut, saltem Genevæ (ubi Sigismundus regnabat), hæreticos arianos photinianosque a sequendo errore deterreat, provideat que « ne « contagium alienæ calliditatis fraude pullulet[2]; » modo petit ut fidem ipse tueatur suam[3]. Timere enim videtur ne priorem ardorem excipiat negligentia, lætaturque, quum Sigismundus litteris suis[4] se veritati maxime adstrictum esse asserit.

Dignæ sunt, ad quas attentum animum convertas, tres ad imperatorem Anastasium sub Sigismundi regis nomine Aviti epistolæ[5]. Anastasius enim, ut ceteri Orientis imperatores erga barbararum gentium reges agere consueverant, Sigismundo comitivam militarem et patriciatum, honoris causa, donaverat. Gratias de missis his dignitatibus persolvit Anastasio Avitus Sigismundi nomine, et tam

[1] Epist. XXI.
[2] Epist. XXIX.
[3] Epist. LXXXI.
[4] Epist. LXXXII.
[5] Epist. LXIX, LXXXIII, LXXXIV.

cumulate, et magnifice easdem agit, ut nihil turgidius excogitari queat. « Vester[1] est populus meus, sed me plus « servire vobis quam illi præesse delectat. Traxit istud a « proavis generis mei apud vos decessoresque vestros sem- « per animo romana devotio, ut illa nobis magis claritas « putaretur, quam vestra per militiæ titulos porrigeret cel- « situdo : cunctisque auctoribus meis semper magis ambi- « tum est quod e principibus sumerent, quam quod a pa- « tribus attulissent. Quumque gentem nostram videamur « regere, non aliud nos quam milites vestros credimus or- « dinari. Impartit nos gaudiorum munere vestra prosperi- « tas : quidquid illic pro salute omnium curatis, et nostrum « est. Per nos administratis remotarum spatia regionum : « patria nostra vester orbis est. Tangit Galliam suam lu- « men Orientis, et radius, qui illis partibus ordiri creditur, « hic refulget... Jubar quidem conspectus vestri contem- « platione non capimus ; sed lucem serenitatis quam ubi- « que diffunditis, desiderio possidemus. Dominationem « vobis divinitus præstitam obex nulla concludit, nec ullis « provinciarum terminis felicium sceptrorum diffusio limi- « tatur : salvo divinitatis honore sit dictum. Non minuit « majestatem vestram quod accurrere non omnes valent : « satis ad reverentiam vobis debitam sufficit, quod omnes « e propriis sedibus vos adorant. Virtute orbi Eoo, felici- « tate regnatis Occiduo : licet vos ubicumque diligi, etiamsi « non datur omnibus intueri. Sed quum jam istud de uni- « versitate dicatur, conjicite nunc quantum debeant quos « honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium « successuumque vestrorum dignitatum titulis applicatis : « ut sic virtutis vestræ decora nostra sint, et ad honorato- « rum ornamenta pertineat quidquid gesserit fons hono- « rum. »

[1] Epist. LXXXIII.

Quæ vana et magniloqua, ea tantum mente excerpsimus, ut his demonstraretur, quam falso Galliæ inclytus quidem historiæ auctor Faurielus ex istis litteris manifestum esse et deprehensum existimaverit consilium nescio quod, quo antistites gallici, jam lapso romano imperio, Galliæ dominationem ad Orientis imperatores transferre voluissent, miratus cur hæc fœde incepta germani duces, etsi superbissimi, tam patienter toleraverint. Sine dubio confitendum est imperatores Orientis, missis ad barbaros reges his honorum insignibus, spem ambitiosam at inanem aluisse, fore ut, ipsorum imperio obnoxios se barbari faterentur. At, quum tam inauditas et mirificas laudes aggerat Avitus et ampullas ampullis cumulet, nihil aliud sibi vult quam grates urbano et grandi eloquio persolvere.

In his et aliis epistolis quas ad varios sub nomine Sigismundi scripsit Avitus, hoc animadvertendum est, quod, duobus annis ante defunctum Gundobadum, anno scilicet 514, regium nomen Sigismundo jam attributum est et assignatum : quod quidem Marii Chronicon retulerat, his verbis : « Florentio et Anthemio consulibus (515) mona-« sterium Agauno a *rege* Sigismundo constructum. »

Quod si scriptam ad papam Symmachum qui obiit anno 514 epistolam (xxvii) cum sequentibus ad Sigismundum missis, quæ ad festivitatem beati Petri pertinent (xxix, xxx), qui Genevensis Ecclesiæ tutela et patronus erat, conjunxeris, concludetur ante patris obitum Sigismundum in regni consortium venisse, et regnum Godegisili avunculi sui administrasse, qui et ipse sedem suam Genevæ[1] posuerat.

Nunc autem ad longe præstantiorem et attenta cura digniorem epistolam respiciendum, quam Avitus Chlodovæo

[1] Ex epistolis ad Anastasium missis, tertia (lxxxiv) tantum, ut ex aliquot verbis constat, post Gundobadi obitum scripta fuisse videtur.

regi misit (496), ut ei victoriam ab Alemannis apud Tolbiacum reportatam gratularetur, et sacræ fidei adoptionem laudi verteret. Sed jam loquentem inducamus Avitum ut ipsius verbis aptius intelligatur quid de hac epistola sentiendum sit, quam alii alio modo sunt interpretati.

« Invenit[1] tempori nostro arbitrum quemdam divina « provisio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, vestra « fides nostra victoria est..... Gaudeat ergo Græcia habere « se principem legis nostræ[2]; sed non jam quæ tanti mu- « neris dono sola mereatur illustrari, quod non desit et « reliquo orbi claritas sua. Siquidem et occiduis partibus « in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus « splendorem congrue redemptoris nostri nativitas in- « choavit : ut consequenter eo die ad salutem regenerari « ex unda vos pareat, quo natum redemptioni suæ cœli « mundum Deus accepit. Igitur qui celeber est natalis « Domini, sit et vestri : quo vos scilicet Christo, quo « Christus ortus est mundo : in quo vos animam Deo, vi- « tam præsentibus, famam posteris consecrastis. Quid jam « de ipsa gloriosissima regenerationis vestræ solemnitate « dicatur? Cujus ministeriis etsi corporaliter non accessi, « gaudiorum tamen communione non defui; quandoqui- « dem hoc quoque regionibus nostris divina pietas gratu- « lationis adjecerit, ut ante baptismum vestrum, ad nos « sublimissimæ pietatis nuntius perveniret. Unde nos post « hanc exspectationem jam securos vestri sacra nox reperit. « Conferebamus namque, nobiscumque tractabamus, quale « esset illud, quum adunatorum numerus pontificum manu « sancti ambitione servitii membra regia undis vitalibus « confoveret, quum se Dei servis inflecteret timendum

[1] Epist. XLI.
[2] Anastasium imp. christianum quidem sed non satis orthodoxum.

« gentibus caput : quum sub casside crines nutritos salu-
« tari galea sacræ unctionis indueret, quum intermisso
« loricarum tegmine, immaculati artus simili candore
« fulgerent. Faciet, si quid creditis, regum florentissime,
« faciet, inquam, indumentorum ista mollities ut vobis
« deinceps plus valeat rigor armorum, et quidquid felicitas
« usque huc præstitit, addet hinc sanctitas. »

Quanta exsultat lætitia Avitus! quanta alacritate novum illum catholicæ fidei defensorem salutat! ipsius stylus effertur et, quantum valet scriptor, et patitur orationis corruptela, insurgit.

Scilicet, quum omnes Occidentis principes, seu barbari essent, seu hæretici, quum Theodoricus in Italia, in Gallia autem Visigothorum rex Alaricus, et Burgundionum rex Gundobadus ariano errori essent adstricti, licebat Avito exsultare, et ad eum oculos convertere qui catholicum se profitebatur. Ideo exclamat : « Vestra fides, nostra victoria est. » Insuper etiam ea addit : « Successus felicium triumphorum quos
« per vos regio illa gerit, cuncta celebrant : tangit etiam
« nos felicitas; quotiescunque illic pugnastis, vincimus. »
Quamvis non existimandus sit Avitus his verbis eum ad invadendum Burgundiæ regnum invitasse, tamen ipsius catholicorumque omnium vota cum eo pugnatura, si quid armis tentet, pollicetur. Quæ verba, quum tam leves frequentesque essent inter Barbaros bellorum causæ, quum tanta patientia victi victoris dominationem tolerarent, maximi et sunt ponderis, et ita ab omnibus existimanda.

Etenim ad Francos, non tunc primum, gentes catholicæ respiciebant; jam ex aliquot annis in spe magna erant, fore ut Galliæ principatum illi obtinerent, tanto odio hæreticos prosecutæ, ut horum dominationi, barbarorum etiam sævissimorum imperium anteponerent. Jam nonnulli sui erga Francos studii pœnas dederant, ut his testatur Gregorius

Turonensis : « Interea quum *jam* (circiter 484) terror Fran-
« corum resonaret in his partibus, et *omnes eos amore*
« *desiderabili cuperent regnare*, sanctus Aprunculus Lin-
« gonicæ civitatis episcopus apud Burgundiones cœpit
« haberi suspectus. Quumque odium de die in diem cre-
« sceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo ad eum
« perlato nuntio, nocte a castro Divionensi per murum
« demissus, Arvernis advenit, ibique, juxta verbum Do-
« mini, quod posuit in ore sancti Sidonii, undecimus datus
« est episcopus[1]. »

Quod si jam ex anno 484, catholicæ gentes Francos falsis numinibus adstrictos et infirmos adhuc votis non secretis vocarent, quanto acriori studio in anno 496 imperio auctum et victoria celebratum Chlodovæum, quin etiam baptismate catholicum, exoptare debebant! Idcirco Avitus scribit : « Quotiescumque illic pugnastis, vincimus. » Ex illo enim tempore quemdam patronum catholicis esse novit ad quem confugere, si opus sit, jam possint; ex illo tempore hostem sibi esse Gundobadus sentit, cum quo civium suorum pars, forsan nec manu nec corpore at sane animo et votis pugnant. Quapropter imminente inter Francos et Burgundiones bello, (septembri 499), orantes episcopos catholicos, ut sibi liceret cum arianis de religione colloqui, objurgavit subito Gundobadus et his verbis insectatus est : « Si vestra fides est
« vera, quare episcopi vestri non impediunt regem Franco-
« rum, qui mihi bellum indixit, et se cum inimicis meis[2]
« sociavit ut me destruerent; nam non est fides ubi est
« appetentia alieni, et sitis sanguinis populorum : ostendat
« fidem per opera sua ! »

Quam reprehensionem Avitus excipit adeo non formi-

[1] II, XXIII.
[2] Godegisilo fratri

dine captus, ut contra regi ipsi minari videatur. Unde tanta audacia nisi, etiam inscius, Chlodovæo confidat : « Tunc humiliter respondit domnus Avitus, faciem habens « angelicam ut et sermonem : Ignoramus, o rex, quo « consilio et qua de causa rex Francorum facit quod di- « citis : sed Scriptura nos docet, quod propter derelictio- « nem legis Dei subvertuntur regna, et suscitantur inimici « omni ex parte illis qui se inimicos adversus Deum con- « stituunt. Sed redite cum populo vestro ad legem Dei, et « ipse dabit pacem in finibus vestris, nam si habetis pa- « cem cum illo, habebitis et cum ceteris, et non prævale- « bunt inimici vestri. »

Maximi igitur momenti hæc epistola est. Nos enim edocet quantum Chlodovæi conversio, augendo ipsius imperio sit auxiliata, et quantis plausibus felicem hunc nuntium catholica Gallia acceperit. Præterea videtur Avitus ex suis verbis in sancti Remigii gloriæ partem venire, et ipse jam antea operam dedisse ut Chlodovæus ad fidem converteretur : « Hoc quoque regionibus nostris divina pietas gratula- « tionis adjecit, ut ante baptismum vestrum ad nos subli- « missimæ humilitatis nuntius pervenerit. » Quod intelligi non potest, nisi Avitus ad Chlodovæum nonnullas epistolas antea scripsisset. Quod quidem aliunde confirmatur. Hincmarus enim, tribus sæculis post, ab Adone Viennensi petit, ut ipsi mittatur Aviti epistola beato Remigio Remensi scripta, quam monachus quidam, Rotfridus nomine, apud Adonem se legisse assereret. Quamvis hæc perierit, fas est conjecturam facere eam ad rem tanti ponderis pertinuisse.

Hæc autem ad Chlodovæum epistola eumdem Hincmarum erroris arguit qui Chlodovæum contendebat, vigiliis Paschæ sancta unda fuisse consecratum. Affirmat enim Avitus, et ea quæ insuper addit eum vere dixisse probant, hunc eventum « cum Redemptoris nostri nativitate convenisse, ita ut

« ad salutum eo die regeneratus fuerit Chlodovæus, quo « natum redemptioni suæ cœli dominum mundus accepit. » Inde fit ut et victoriæ adversus Alemannos et baptismatis annus, scilicet 496, idem fuisse videatur. Necnon inclyta illa Remigii ad Chlodovæum verba, his Aviti verbis : « Quum « se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput, » quodam modo renovantur.

Animadvertendum est quoque, Avitum inter lætitiam religionis commoda non oblitum esse, at ab rege petivisse ut : « Ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc « ignorantia constitutas nulla pravorum dogmatum germina « corruperunt, de bono thesauro sui cordis, fidei semina « porrigat, nec eum pudeat, pigeatque, etiam directis in « rem legationibus, adstruere partes Dei qui tantum ipsius « partes erexit. »

Quæ verba pontifici viro optime conveniunt, et Avitum vere dignum fuisse ostendunt qui sancti Bonifacii consilia præoccuparet. Hæc est quoque, ut ita dicam, ultima fœderis conditio quod cum Francorum rege catholicus Galliæ episcopatus facit, quodque brevi implebitur.

Victoriam et conversionem Avitus, religionis et catholicorum episcoporum nomine Chlodovæo gratulatus erat : at non semel tantum religionis defensorem et tanquam publicum patronum se gessit. Etenim in epistola xxxi synodum adversus papam Symmachum, Theodorico rege jubente, anno Christi 502 habitam insectatur, et gallorum episcoporum nomine, Italiæ episcopos, quod de superiore judicium inferiores tulerint, gravissimis verbis reprehendit.

Scripta est Fausto et Symmacho senatoribus Urbis hæc epistola, nec Aviti tantum at cunctorum gallicanorum fratrum reprehensiones amplectitur qui, non minus per mandata quam per litteras, viennensem episcopum hortati erant ut communem causam susciperet.

Etenim quamvis, in synodo Romæ anno 501 habita, damnatus esset pseudopapa Laurentius, Symmachus papa, in altera synodo Palmari dicta, impeditus adversariorum calumniis, ultro quasi juri alieno cedens, synodo judicioque consacerdotum se subjecerat ut ipsius integritas omnibus innotesceret. Perperam id sibi judicium sumpsisse Italiæ episcopos censuerunt antistites galli et Avitus præcipue, nec ullus his temporibus, excepto sancto Ennodio, papæ romani super alios Occidentis episcopos præstantiam tam vehementer tuitus est[1]. « Non facile datur intelligi qua vel « ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. « Nam quum celebri præcepto Apostolus clamet, accusa- « tionem vel in presbyterum recipi non debere, quid in « præcipuum generalis ecclesiæ criminationibus licere cen- « sendum est?... at si papa Urbis vocatur in dubium, epi- « scopatus jam videbitur, non episcopus vacillare. »

His litteris subjungenda sunt epistolæ verba ad Senarium Urbis senatorem anno 517 scriptæ[2], quibus Avitus papam, non tanquam episcopum tantum urbis Romæ, sed tanquam cunctorum Occidentis antistitum maximum habuisse videtur : « Quia scitis synodalium legum esse, ut « in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid fuerit « dubitationis exortum, *ad romanæ Ecclesiæ maximum « sacerdotem quasi ad caput nostrum membra sequentia « recurramus*. Ex consensu antistitum Ecclesiæ viennensis « ad sanctum Hormisdam, seu *quicumque nunc ille est*, « papam, debitæ venerationis obsequium cum sollicitudine « destinavi. »

Publicum quoque viennensis Ecclesiæ patrocinium Avitus suscepit, quum discordiæ utramque Ecclesiam romanam et

[1] Sic in epistola LXXX : « Venerabilis papæ urbis nobis hanc negligen- « tiam succensentis, mordacia mihi nonnumquam scripta perlata sunt. »

[2] Epist. XXXVI.

constantinopolitanam vexarent. Orta erat dissensio quod Acacii episcopi, post sententiam excommunicationis a sancto Felice papa tertio anno 474 latam, animo obstinato in hæresi ac schismate exstincti, nomen e sacris tabulis nollent eradere episcopi, a Gelasio, Anastasio et Symmacho frustra sæpius moniti. Qua epistola ad Hormisdam[1] missa Avitus a papa petit ut gallicanam ignorantiam excuset, et quid effecerint susceptæ de pace Ecclesiarum legationes, dicere dignetur. Hormisda autem, Avito respondens, non eum unum alloquitur at universos provinciæ episcopos, aitque missam fuisse legationem, at irrita cecidisse ejus conamina. Mox tamen alteram misit, fortasse Aviti precibus ad id impulsus, quum in papæ epistola ad Anastasium scripta legatur : « Pendent anxia corda cunctorum : *ab ultimis ad nos* « *Galliis directa legatio*, si quid de unitate redintegrationis « sollicitudo nostra promovisset, forma secuta consuluit. »

Hormisdæ ad Avitum responsum non epistolæ speciem affectat; hanc bullam esse pontificalem potius diceres, tanta majestate, tam grandi pro temporibus eloquio Hormisda conversas Pannonias, Illyriam, Thraciam (id est ad catholicam fidem reversas) nuntiat, seque ultro scripturum esse Avito affirmat, si quid fidei utile advenerit, et in primis, si discordiæ, inter duas Ecclesias ortæ, fuerint conciliatæ.

Attamen erraret, si quis, ex his Aviti epistolis et verbis, inferret, ab illo romanum papam tanquam *unum et summum totius orbis pontificem* fuisse habitum. Maximo quidem honore viennensis episcopus quum Hormisdam, tum dein Symmachum, at tanquam summos Occidentis pontifices prosequitur. Etenim licet Symmachum vocet « *universalis Ecclesiæ præsulem*[2], » idem Avitus papam Constantinopolitanum, et papam Hierosolymitanum ita alloquitur, ut

[1] Epist. LXXXVII.
[2] Epist. XXVII.

tanquam summos *Orientis* pontifices, et dignitate et sanctitate *romano papæ* pares existimasse videatur.

His enim verbis anno 519, longum discidium inter duas ecclesias, Joanne Cappadocio auctore, compressum et pacem redintegratam, papæ constantinopolitano gratulatur Avitus[1] : « ..... indicans eam cum romano antistite vos habere « concordiam, quam velut geminos apostolorum principes « mundo adsignare conveniat. Quis enim qui vel catholicus « dici potest, de tantarum ac talium ecclesiarum pace non « gaudeat, quas, velut in cœlo positum religionis signum, « pro gemino sidere mundus exspectat : ...... Custodite « igitur, quasi patres, traditam vobis etiam super nos « Ecclesiæ disciplinam. Concordiæ vestræ tantum opus est « magisterio, quantum et exemplo. Quam caritatem po« pulis suadebimus, si hanc in nostris rectoribus nescia« mus? Quid in corpore firmum videri poterit, quod nutat « in vertice mancum? Ergo piam redeuntibus date, ne quis « intentione pereat, prædicationem. Prospicite, ne specu« lata signa tam fera bestia populetur, si ab unitate sensus « vestri Roma dissultet..... »

Pari humilitate Avitus papam hierosolymitanum Heliam ut se et ceteris præstantiorem prosequitur, dum pro missa sacræ crucis non mole, ut ait, sed particula, gratias ei agit[2] : « Exercet apostolatus vester *concessos a Divinitate primatus*, « et quod *principem locum in universali Ecclesia teneat*, « *non privilegiis* solum studet monstrare, sed meritis. »

Si quis, igitur, integro ac libero animo has epistolas, modo papæ romano, modo papæ constantinopolitano, modo papæ hierosolymitano scriptas, et submissa illa modestissimaque verba perpendeat, nonne patebit Avitum tres papas ut præstantissimos totius Ecclesiæ pontifices veneratum esse;

[1] Epist. VII.

[2] Epist. XXIII.

non autem, ut quidam ecclesiastici scriptores volunt, primas partes romano antistiti assignasse? Quod si inferendum esset cujus (Avito auctore) præstantia esset, nonne primas habuisse videretur is, id est hierosolymitanus, de quo Avitus ait : « *Apostolatus vester principem locum in* « *universali Ecclesia tenet.* »

II

Avitus in interiore diœcesi.

Quanta cura episcopatus munia persolverit Avitus, quis fuerit in administranda, seu provincia sua, seu diœcesi, ex litteris viri licet quoque pernoscere.

Quum in primis consulere debeat episcopus, ut Dei ministri sacris suis officiis satisfaciant, exemploque suo alios bonas artes doceant excolere, non munere decessit suo Avitus, at contra tardiores sacerdotes ad justam canonum observationem revocandos sæpe curavit. Ita epistola LXXX omnes diœcesis suæ episcopos ad concilium quoddam convocat, et dum luget conventus, quos bis per annum a sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, non haberi, ita agendum esse præcipit in posterum, ut singulis annis conventus jam congregentur. Interea gravissimis verbis precatur ne quis absit, nisi infirma valetudine oppressus, episcopisque morbo tardatis imperat, ut duos presbyteros integræ vitæ « mandati instructione firmatos » pro se mittant : electam octavam iduum septembrium diem, electamque parochiam Epaonensem, conventui opportunissimum locum, nuntiat, qui quidem adeo ignobilis rerum vicibus evasit, ut eum in viennensi provincia versari tantum innotescat.

Quanti momenti fuerit in hoc concilio Avitus qui huic præfuit, ostendunt ejusdem ad Victorium Grationopolitanum episcopum litteræ ante concilium scriptæ, quarum ipsa vocabula referunt nonnulli hujus concilii canones[1].

Plurimas quoque epistolas reperire est quæ ad propriam diœcesis administrationem pertineant; in his Avitus non tantum sincerum fidei propugnatorem, sed etiam mitissimum et clementissimum suorum patrem se gerit[2]. Scilicet Vincomalum quemdam, qui mortuæ uxoris sororem contra leges Ecclesiæ duxerat, rogante Victurio[3], a communione fidelium primo sejunxerat[4]; mox peccatum confitentem pollicitumque, fore ut a sacrilega conjuge abstineret, omni pœna liberat, Victuriumque orat[5] ut facilem, ipsius ad exemplum, se misero præbeat. In alia epistola[6], episcopum quemdam reprehendit, quod presbyterum justitiæ laicorum tradere velit, eique præcipit, ut laicos et præsertim clericos non tam severo studio consuescat a communione catholicorum separare.

At quum audit[7] a juvene quodam temeratam esse virginem Deo devotam, non iræ temperat suæ, nec intercedentis Ansemundi preces recipit, imo gravissimas pœnas, excommunicationem scilicet, juveni minatur nisi eum infamiæ suæ pœniteat. Nec minore cura, cetera Ecclesiæ jura legesque tuetur Avitus. Accipiens enim[8] sacerdotem quemdam a populo esse electum dum solummodo in consecrandis epi-

[1] Epist. VI.

[2] Hæ sunt epistolæ, Eustorgio (VIII), Cæsario (IX), Magno (X) episcopis de redimendis captivis italicis missæ de quibus supra dictum in *Aviti Vita*.

[3] Epist. XIV.

[4] Epist. XV.

[5] Epist. XVI.

[6] Epist. LXI.

[7] Epist. XLIX.

[8] Epist. LXVI.

scopis populo servatur electio, vehementer indignatur, et episcopum qui factum retulerat, hortatur studiose, ut illum presbyterum illicita præsumentem castiget, ultroque provideat ne in posterum ausum quid simile renovetur.

Qua epistola, ceterum omissis aliis, demonstratur episcoporum electionem eo tempore tam frequenter usitatam esse et populo ita contigisse ut ille etiam in eligendis sacerdotibus pristinum morem vellet aliquoties servare.

III

Avitus in vita privata.

Quod si, relictis cunctis episcopatus et vitæ publicæ muneribus officiisque, quæritur quis fuerit in vita privata antistes ille qui tam constantem fidei catholicæ propugnatorem se gessit, dignissimus fuisse videbitur qui a suis unice diligeretur, adeo facilem mitemque, comisque et humani ingenii se præstitit. Quam humanitatem, mansuetudinemque declarant multæ ad varios epistolæ[1] sed eæ præsertim quas ad fratrem Apollinarem scripsit Valentiæ episcopum vel ab eo accepit[2]. Quarum ex numero duæ in primis ad memoriam sunt revocandæ, quibus sincera utriusque erga alterutrum et erga sororem pietas manifestius appareat[3]. Excusat enim Apollinaris se ad diem festum, in quo defunctæ sororis memoria honoribus colebatur, Viennæ non adfuisse, somniumque narrat, nocte quæ festam lucem secuta est, visum, cujus interpretatio quæ sit, dum quærit, *reliquati fœnoris recordatus est*, quasi soror mortua provideret ne quid ipse delinqueret. Hoc autem somnium quo ita

[1] Epist. XVII, LII Viventiolo; XXXV Elpidio Diaconi; XLVII, XLVIII, LXXXV, LXXXVI Heraclio; LXXIV Caertio.

[2] Epist. XI, XII, XXV, LIV, LXII, LXIII, LXXVIII, LXXIX.

[3] Epist. XI, XII.

permotus erat his narrat antistes : « Nam in ipsa sancta « nocte, in visione, nescio quid manibus meis hæserat, « quod consedens juxta me fulgentissima, sed inusitato co- « lore rubra columba vellebat. » Respondet autem Avitus se narratum somnium attente legisse, nec lacrymis temperasse : sororem enim communem, cujus maturum funus uterque luget, unum ita monendum curasse dum alter anniversarium depositionis diem debitis prosequeretur. Reputans igitur ipse, quanta jam nunc felicitate fruatur soror, et se et fratrem solari aggreditur.

Quibus in epistolis nescio quid pii et humani est, etsi puerilis, quo ostenditur duos illos episcopos sanctorum nomine postea dictos, et tanta constantia veræ religionis partes tuitos, sensu tenero et delicato fuisse quoque prædditos, nec ista caritate caruisse quæ privatorum virorum est sæpius, sed apud eos raro offenditur qui publicarum rerum curæ totos se devoverunt.

Non inhumane neque inurbane erga amicos se gerit Avitus, sive Apollinarem Sidonii filium calamitatibus oppressum confirmat[1], seu operum suorum infirmitatem modestissimus scriptor fatetur nec sine quadam superbia excusare videtur[2], seu alios episcopos orat ut festæ diei adesse velint, seu, quod abfuerit a quadam istius modi solennitate, poscit ut sibi veniam concedant[3]. Quæ epistolæ, breves, modestæ, teneris sententiis plenæ, et humano viro et episcopo sunt dignæ; imo nonnunquam salibus et jocis ita miscentur, quamvis semper honestæ, ut eas nemo nisi miratus legere possit.

[1] Epist. XXII, XXXIII, XLV, XLVI. De quo et de quibus dictum est supra.

[2] Epist. XIII Contumelioso ; XXXVIII Euphrasio.

[3] Epistolæ festales, LVIII, LIX, LX, LXIV, LV, LVII, LIII, LXXIII, LXXV, LXXVI.

Hæc enim erat istius temporis episcopis consuetudo, ut, qui diem festam singulari honore celebrabat, ceteros ad istam solennitatem invitaret, aut illis lucem faustam gratularetur, muneraque parvula aut potius cibos fructusque mitteret absentibus. Idcirco in epistola[1] Maximo Genevæ Episcopo scripta, Avitus se hæc munera accepisse respondet jocaturque quod Maximi « servus Leonianus eos « cibos esuriens, multum gemens, minimum sumens, avido « quidem sed vacuo ventre transmisit. » Illius manus tenaci corvorum rostro comparat qui Eliæ cibum de cœlo ferebant, nec illum attingebant, servique gulosam aviditatem deridet « cujus sitis etiam maximis pateris satiari non « possit. »

Imo in alio loco Leonianum eumdem fingit viro illustri Sapaudo scribentem, qui cujusdam principis convivio interfuerat, ejusque pompam amplissimis descripserat verbis. Quarum litterarum nisi titulus indicaret *epistolam sub nomine Leoniani ab Avito viennensi episcopo dictatam*, nunquam ullus existimaret a tam severo et gravi episcopo, eam fuisse scriptam per ludibrium et missam.

Dolet enim Leonianus quod delicatis cibis omnino careat nec in ecclesiatica frugalitate saturetur : « Impleor oleri- « bus et inflor napis, abundo leguminibus sed quæ tellus, « non pontus emisit. Qualia fuerunt bonæ memoriæ quon- « dam ostrea non recordor. Si modicum quid vasculo uno « minimo semipleno vini pallentis apponitur, et hic modus « vel regula custoditur. Multa deposcens, aut inediam pa- « tior, aut aliquid rapuisse confingor. Summa importuni- « tate perago, ut tres recentes aliis plus præsumam. Ipsæ « etiam pateræ, quas confictis casibus frango, quotidiana « reparatione decrescunt. »

[1] Epist. LXV.

Forsan hos sales austeri ingenii quidam judex minime probabit : at eos eo consilio memoravimus quod Aviti indolem aliqua parte ostendunt, nec horridæ aut nimis severæ mentis eum fuisse testantur.

Inde igitur, quo nostram de Avito episcopo sententiam, quam jam sæpissime in lucem promere adhuc tentavimus, manifestiorem indicemus : hæ Aviti epistolæ illum nos docent fortissimum fuisse veræ fidei defensorem, sapientissimum et mitissimum antistitem, necnon tenerrimæ indolis et gratissimi commercii virum. Superest nunc ut de poeta tractemus.

CAPUT IV.

1° DE SACRIS IN GENESIM POEMATIS ANTE AVITUM.
2° DE SCRIPTIS AB AVITO CARMINIBUS.

I

De aliquot sacris poematis ante Avitum.

Dum christiana fides varia fortuna adversus Gentiles de imperio certavit, fuerunt ei quum oratores qui eam scriptis defenderent, veteremque impugnarent religionem, tum episcopi qui firmarent adhuc labantem, adultamque ordinarent. Ut vero rerum potita est victrix, non defuerunt poetæ eam carminibus celebraturi. Non existimandum est, quamvis jam ita defloruerint litteræ, paucissimos hos fuisse : tam multos autem reperire est, ut in duas partes sint distribuendi, in lyricos poetas qui novæ religionis laudes et majestatem cecinerunt, et in epicos qui ejusdem primordia et historiam descripsere. De his tantummodo, et præcipue de poetis qui ante Avitum antiquissima sacrarum Scripturarum tempora versibus narraverunt, paucis dicendum est.

Repetitis ictibus quamvis afflicta prostrataque, Gentilitas imis pectoribus inhærebat adhuc vigebatque. Profana multa in inscias mentes sese insinuaverant, veterum scriptorum libris præsertim commendata. Sermone enim, licet corrupto, latino tamen utebantur cuncti, et eodem, omnibus horis, ad memoriam revocabatur romana magni-

tudo. Nempe romanos poetas, oratores, philosophos, assidua versabant manu, et quocumque incedebant, romanis insistebant vestigiis. Rutilius Numatianus, etiam circiter 420, antiquæ Romæ laudem carminibus concelebrat et christianam fidem fastidioso deprimit versu. Idcirco multi, tenera religionis cura permoti, e primis temporibus conati sunt profana studia ita sacris mutare ut gentilia quæque dediscerent cerei juvenum animi. Quum maximus quondam poeta Virgilius carmine suo Romæ initia et historiam cecinisset ejusque laudes celebrasset, christiani studuerunt religionis suæ historiam et initia pueros versu docere. Inde tot poemata de mundi primordiis et vetustissimis scripturarum sæculis scripta. Ipsum quinetiam Virgilium tentant ita detorquere ut christiana christianos edoceat, et *molle facetumque suum* novæ religioni commodet. Hac mente Cœlius Sedulius [1] poema suum, centonem scilicet Virgilianum Theodosio Augusto istis versibus dedicat :

. . . . . Dignare *Maronem*
Mutatum in melius divino agnoscere sensu.

Ante Sedulium (circiter 350) mulier genere nobilis Valeria Faltonia Proba virgilianos centones quoque ad testimonium Veteris et Novi Testamenti scripserat, et mira patientia discerpserat Virgilium ut is mundi originem vel hominis peccatum, vel Christi ortum mortemque et ascensionem, miratus quidem, enarraret. At viri tum piæ mentis [2], quum recti judicii, vanum et inane hoc inceptum vituperabant. Christiana enim quæque vix versu attingebantur,

[1] Cœlius Sedulius (circiter 392) *Carmen de Incarnatione*. Hic est cento virgilianus non ultra centum versus. Quod poema quidem videtur Sedulii nomini fuisse falso addictum.

[2] Isidorus Hisp., *De scriptoribus Ecclesiæ*, cap. v, hæc dicit : « Cujus « quidem non miramur studium sed laudamus ingenium. »

ne peccaret ad extremum Virgilius et rebellaret indocilis. Nihil igitur ex istis versibus hauriendum, quum sic narretur Evam hoc delictum admittere quo totum humanum genus hinc pessumdatum est :

Miraturque novas frondes et non sua poma
Causa mali tanti, summo tenus attigit ore.

Circiter idem tempus (330) presbyter hispanus Juvencus Proba sapientior, Virgilii vestigia deserit, et historiam sacram versu narrare ultro aggreditur. Librum unum enim in Genesim[1] componit, mox additis quatuor historiæ evangelicæ libris et triumpho Christi de morte[2]. Postea, Sedu-

[1] Liber unus in Genesim (1441 versus) Juvenci nomine sed falso signatus, adeo horridus est, et libris quatuor historiæ evangelicæ quæ certissima est, adeo absimilis.

[2] Triumphus Christi heroicus Juvenco quoque sed falso, ut videtur, addictus. Creditur hoc breve carmen in XV sæculo fuisse compositum. Multis et dicendi virtutibus eminet. Hic forsan Milto quædam invenit quum effinguntur dæmones arma parantes ne Christus in Inferos perveniat, mortuos ad sedes beatas secum abducturus. His versibus certe ludit recentissimæ ætatis et minime piæ mentis poeta :

« O socii, exclamat, jam tempus sumere tela,
« Quandoquidem hic sanie perfusus membra propinquat...
« Scandite murum alacres, hostemque a limine telis
« Arcete objectis multi et compage serarum ;
« Regalem interea nos hic tutabimur armis
« Objicibus crebris, et duris vectibus aulam. »
Agmine facto, illi summa ad fastigia currunt,
Vocibus horrisonis et tecta et mænia complent.
Ecce autem Christus per tetra silentia rupit
Lumine sidereo, claraque in luce refulsit...
Nec mora, cum sonitu postes cecidere solutis
Cardinibus, magnamque dedit collapsa ruinam
Janua, et admittunt concussa palatia Christum.
Obstupuit prior ipse Charon, seque abdit in ulva
Et canis obstupuit claudens tria Cerberus ora...
Primus Adam ante alios palmas ad sidera lætus
Extulit, et Dominum devota est voce precatus :
« Exspectate venis miseris, o sancte redemptor,
« Da requiem finemque malis, fer ad astra redemptos. »

lius (circiter 392) carmen Paschale, seu mirabilium divinorum libros quinque edebat, et narratis aliquot Veteris Testamenti miraculis, mirabilia Christi vicissim describebat. His addere necesse est Dracontium qui (circiter 440) *carmen de Deo* composuit, in quo, dum enumerat quibus beneficiis Deus homines cumulaverit, orbis fabricam ita descripsit ut sæpius huic operis parti nomen *Hexameron* assignatum fuerit; quod vitiosum quidem est, quum hæc carmina, si recte ea intelligere volueris, a ceteris poematis partibus non sint abjungenda.

Nonnullis annis postea (circiter 449) sanctus Hilarius Arelatensis, jubente papa Leone sancto[1], originem orbis et prima tempora in 250 versibus narrabat; postremo, ut sacrorum poetarum qui ante Avitum scripserunt ultimus et optimus inducatur, Claudius Marius Victor, rhetor massiliensis, tres commentariorum in Genesim libros circiter 445 edidit.

Quum autem illa carmina condere mente agitarent isti poetæ, aliis propositum erat, ut animos profanarum litterarum illecebris et versuum lenociniis captos ad sacrorum librorum studium, carminum blandimento, avocarent, aliis autem, ut pueros religionem edocerent suam, iisdemque proba proponerent exempla, aliis tantummodo, ut Dei optimi maximique laudes et plurima in humanum genus beneficia aptissimo modo illustrarent. Dum ceteri poetæ primis tantum versibus quid sibi proposuerint indicant,

[1] Paruimus monitis, tua dulcia jussa secuti,
Antistes Christi, quæ dabas ore pio.
An ego non canerem tanti præconia patris,
Munus opusque Dei, dum mihi lingua foret?
Rauca quidem, stridens et nullis digna coronis
Ingeniumque jacens, sed libet alta loqui.

Adeo autem rauca est lingua, ingeniumque jacens ut multi hoc carmen a sancto Hilario negaverint esse compositum.

solus Sedulius præfatione docet copiosius qua mente opus suum susceperit. Hæc quamvis longa subscribenda quo melius intelligatur quid in hac ætate de hoc operis genere sentirent homines.

Narrat primo Sedulius se studiis secularibus diu occupatum, tandem ad meliora a Deo misericorde vocatum fuisse, mox addit :

« Ad jaciendum hujus operis fundamentum ob hoc « maxime provocatus accessi, ut alios exhortationibus « veritatis ad fruges bonæ messis invitarem. . . . . cur « autem metrica voluerim hæc ratione componere, bre- « viter expedire non differam. Raro, pater optime[1], sicut « vestra quoque peritia lectionis assiduitate cognoscit, « divinæ munera potestatis stylo quisquam hujus modu- « lationis aptavit, et multi sunt, quos studiorum secula- « rium disciplina per poeticas magis delicias et carminum « voluptates oblectat. Hi quidquid rhetoricæ facundiæ per- « legunt, negligentius assequuntur, quoniam illud non « diligunt : quod autem versuum viderint blandimento « mellitum, tanto cordis aviditate suscipiunt, ut in alta « memoria, sæpius hoc iterando, constituant et reponant. « Horum itaque mores non repudiandos æstimo, sed pro « insita consuetudine vel natura tractandos, ut quisque « suo magis ingenio voluntarius acquiratur Deo. Nec dif- « fert qua quis occasione imbuatur ad fidem, dum tamen « viam libertatis ingressus, non repetat iniquæ servitutis « laqueos, quibus antea fuerat irretitus. Hæ sunt, pater « egregie, operis nostri causæ, non supervacuæ sicut didi- « cisti ; quæ, si probabili ratione non displiceant, benig- « nitatis tuæ donentur favore. »

Non deerant autem timidæ mentis viri, qui hoc Sedulii

[1] Dedicatio operis paschalis ad Macedonium.

vel aliorum inceptum vituperarent, veriti ne severis incommodisque versuum legibus, arcta veluti compede vincta, aut corrumperetur sacrorum librorum simplicitas, aut saltem majestas deprimeretur. Eorum igitur monitis obsequens Sedulius, suum (quod sane mirandum est) carmen in pedestrem sermonem vertit ipse, novumque librum Macedonio non sine quadam verecundia his mittit : « Præcepisti, reverende mi domine, paschalis carminis textum « quod, officio puræ devotionis simpliciter exsecutus, vobis « obtuli perlegendum, in rhetoricum me transferre sermonem. Quod utrum placuerit, ideo geminari volueris, « an quod offenderit, ut potius arbitror, stylo censueris « liberiore describi, sub dubio videor fluctuare judicio. « Sanctis tamen jussionibus non resiliens injunctam sus- « cepi provinciam. »

Attamen versuum suavitate adeo capiuntur etiam inviti hominum animi, ut non cessaverit poetarum quamvis proscriptorum proventus. Ceterum idem pium est cunctis propositum, ut ipsi carminum initio testari festinant. Ita enim ait Dracontius :

Qui cupiunt animis placidum rescire Tonantem,
Hoc carmen præ mente legant, dum voce recensent.
Agnoscent quod templa poli, quod mœnia cœli,
Auctorem confessa suum, veneranter adorent...

Idem dicit Hilarius Arelatensis :

Dignum opus et justum est semper tibi dicere grates,
Omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
Natalem sumpsere diem, atque exorta repente
Post tenebras stupido spectarunt lumina cœlo,
Gens hominum, pecudesque feræ, milleque volucres,
Et quæ per liquidos discurrunt agmina campos.

At Claudius Marius Victor filium suum edocere religio-

nem tentat et aliorum puerorum ut sui teneros animos informare studet :

> Da mellifluum in præcordia verbum
> Nostra tuum, et linguas nobis infunde disertas,
> Dum teneros formare animos et corda paramus
> Ad veræ virtutis iter, puerilibus annis...

Quum tam pia sit poetarum illorum sententia, humanam laudem gloriamque carminum virtute partam omnino despiciunt, imo non curant, id unum timentes ne ingenii vitio quid detrimenti fides christiana capiat :

> Quod si lege metri quidquam peccaverit ordo,
> Peccarit sermo improprius, sensusque vacillans,
> Hinc nullum fidei subeat mensura periclum !
>
> (Claud. Mar. Victor.)

Se humilis et jejunæ venæ esse sentiunt, at magna et sublimia canentes non pudet infirmitatis suæ :

> Pone supercilium, si te cognoscis amicum,
> Nec quæras opus hic codicis artificis;
> Sed modicæ contentus adi solemnia mensæ,
> Plusque libens animo quam saturare cibo.
> At si magnarum caperis dulcedine rerum,
> Divitiasque magis deliciosus amas. . . . .
> Illic invenies . . . .
> . . . .
> At nos exiguum de paupere carpsimus horto
> Rubra quod appositum testa ministrat olus [1].

Solus Juvencus immortalem laudem se consecuturum existimat, et se æterno victurum sperat. Non nimia sui

[1] Sedulii in paschale opus Præfatio.

æstimatione, sed ex fide sua et ex immortali carminis materia tanta sibi pollicetur :

> Nobis certa fides æternæ in secula laudis
> Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
> Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,
> Divinum in populos falsi sub crimine donum.
> Non metus ut mundi rapiant incendia secum
> Hoc opus, hoc etenim forsan me subtrahet igni.
>
> (*De historia evangelica* Prologus.)

Id unum autem student, ut res sacras fide incorrupta narrare videantur. Sobrii, imo jejuni, curant ne materiam suam externis profanisque decorent ornamentis. Idcirco ambitiosa quæque recidunt, quidquid musa solet admittere repudiantes, nuditatis solius adeo studiosi, ut ab his damnetur Cl. M. Victoris poema, velut indecoris calamistris inustum. Gennadius enim, dum hoc carmen christiano modo et pio animo scriptum fatetur, infirmitatis et levitatis sententias arguit, quod profanis litteris imbutus auctor Scripturarum humiliori intelligentia peccaverit[1]. Idcirco, adeo non pluribus versibus sacræ historiæ gesta explicant, ut contra narrationem amputent et brevioribus contrahant sententiis.

Hilarius Arelatensis, Scripturis etiam nudior, artes narrare omittit quibus Eva prior et Adamus deinde decipiuntur. Hæc tantummodo ait :

> Postquam primus homo vetito se pascere ligno
> Non timuit, captusque dolis se præbuit angui,
> Stat reus. . . . .

[1] *Historia litterarum apud Gallos*, t. II, p. 244 : « Hæc ait Gennadius (Catal. illustrium virorum) : (is) « Quatuor versuum edidit libros « christiano quidem et pio sensu : sed utpote seculari litteratura homo « occupatus, et nullo magisterio in divinis Scripturis exercitatus, levioris « ponderis sententias figuravit. »

His tribus versibus includitur quidquid de diluvio refert :

> Postquam diluvii cecidit tumor, unda resedit,
> Ales paciferæ folium portavit olivæ,
> Jam siccis revolans pennis dedit omina pacis.

Non igitur poema sed homiliam versibus aptatam condit.

Juvencus quoque septem versibus diluvium describit, attamen ea erat materies quæ cuncta carminum ornamenta, salva christiana fide, posset admittere. Fusus quidem magis in hac parte Dracontius est, et Mario Victori similior : at plurima sunt loca quorum siccitatem et exilitatem merito reprehenderes.

Quod ad carmina ipsa attinet, nudos versus, rudes incomptosque sæpius reperias. Eorum enim auctores fidei præcepta studiosiore animo servant quam ut poesis legibus paruisse dignentur. In prosodiam igitur sæpissime peccant. Apud Dracontium reperies *idōlum, fĭant, thrōnum,* etc., apud Juvencum *vīritim;* apud plerosque, et præsertim apud Hilarium adeo valet cæsura ut nec mutari syllaba nec vocales conjungi possint.

Sic apud Dracontium « projicerē nec plasma suum, » aut apud Hilarium :

> Assidēt in sollō et terras spectat amicas...
> Inde opifex rerūm assumis mollia terræ,
> Atque virum formas, cujus de costă cupito
> Fit mulier vultu ; mulier de costă viri fit...
> . . . . Nulla est veritās usquam...

Ex omnibus istis poetis qui Genesim versibus ante Avitum explicaverunt, præstantissimus est Claudius Marius Victor, quem, ut se dederit occasio, cum Avito conferemus. Marii autem Victoris carmina, quorum rara erant sine dubio circiter finem quinti seculi exemplaria, non videtur

novisse Avitus. Nempe a tractanda eadem materia abstinuisset. Marius enim Victor, et originem mundi, et Adami peccatum, diluvium, necnon Sodomæ ruinam Lothique fugam tribus libris narrat. Illius autem versus, licet rudes incomptique multis in locis, nonnullis tamen eminent virtutibus. Non deest elegantia, quædam inventio, vis et copia dicendi, probaque interdum latinitas. Attamen hujus versibus præstant Aviti carmina de quibus nunc disserendum.

II

De scriptis ab Avito poematis.

Quum Avitus legenda mittit Apollinari episcopo fratri quæ condidit carmina, se nonnulla antea versu dixisse fatetur : « Adeo ut si ordinarentur, non minimo volumine « stringi posset epigrammatum multitudo, quod dum facere, « servato causarum vel temporum ordine, meditarer, om« nia pæne in illa notissimæ perturbationis necessitate dis« persa sunt ; quæ quoniam singillatim aut requiri difficile, « aut inveniri impossibile foret, abjeci ea de animo meo, « quorum mihi vel ordinatio salvorum, vel dispersorum « reparatio dura videretur. Aliquos sane libellos apud « quemdam familiarem meum postea reperi : qui licet no« minibus propriis titulisque respondeant, et alias tamen « causas inventa materiæ opportunitate perstringunt. Hi « ergo, quia jubes, etsi obscuri sunt opere meo, tuo saltem « nomine illustrabuntur. »

Quibus ex Aviti verbis constat eum plurima quidem carmina quondam finxisse, sed ea in notissima perturbatione dispersa fuisse et destructa. His de bello dixisse videtur quod inter Godegiselum et Gundobadum exortum, expugnata direptaque urbe Vienna, et occiso in ariana quadam

urbis ecclesia Godegiselo, fuit depositum. Unum igitur hoc poema in quinque partes divisum, quas, ut ait ipse[1], de spiritalis historiæ gestis, inter occupationes seria et magis necessaria conscribendi, etiam lege poematis lusit, viennensi episcopo adscribendum est.

Huic jungendum est inclytum illud olim ad Fuscinam sororem de laude virginitatis poema quod post versus quidem de mosaica historia conditos composuit, sed ultimum fore pronuntiat. « Quum deceat ipsius professionem ætatemque, si quid scriptitandum sit, graviori potius stylo « operam ac tempus insumere. »

Hæc duo poemata tantummodo Gregorius Turonensis (lib. II, cap. xxxiv) noverat, hæc duo Isidorus, et de his solis mentionem facit uterque. Attamen, de sex aliis poematis Aviti nomine signatis interdum commemoratur, quorum tria exemplaria viderat et perlegerat Sirmondus e societate Jesu, et quorum primum *De Exodo,* secundum *De Levitico*, tertium *De Numeris,* quartum *De Deuteronomo*, quintum *De Josua*, sextum *De libro Judicum* erat. Hæc exemplaria in bibliotheca Wolfgang Lazii Viennæ austriacæ invenerat Sirmondus et versus *adeo rudes*, *impolitos ac mendis scatentes*, et ita a ceteris Aviti carminibus discrepantes offenderat, ut nihil ad Avitum hæc pertinere affirmaret, adderetque : « Vel si eorum auctor esset Avitus, « esset religioni, opus quod oblivione auctor premi vo- « luerat, in lucem non evulgare. »

Quos versus nos nec legisse, nec vidisse fateri supervacuum, at persuasum habemus eos ab Avito non fuisse conditos, nec aliud documentum desideramus quam ipsam Aviti professionem et ea quæ supra diximus, Gregorii et Isidori testimonia.

[1] Epist. xlv.

Omnibus, qui ante Avitum sacra poemata condiderant, poetis propositum fuerat juventutem religionem suam et mosaïcæ historiæ gesta per versuum lenocinia edocere et in virgiliani operis locum, puriorem musam supponere et christianæ fidei aptiorem. Eadem de suo carmine sentit Avitus. Idcirco Euphrasium in cujus manus devenerat « opusculum suum, nec vacanter editum, nec omnimodis « emendatum » orat ut Apollinari Sidonii Apollinaris filio tradat, illud insuper addens : « Quocirca volumen per vos « temperatius ingerendum, si supradictus frater vel infan« tibus legi debere censuerit, possim per quæcumque ma« gnificentiæ suæ scripta cognoscere. Si autem post flumina « fontium paternorum, ut potius reor, paupertatem venæ « tenuissimo rore manantis abjecerit, sine verecundia mea « suaque impietate, sufficiet me reprehensionis suæ cen« suram, hinc tantummodo intellexisse si taceat[1]. »

At Avitum non fugit quam sit difficile, opus susceptum, præsertim si ad hujus ætatis necessitates respexeris, aptissimo modo tractare. Hæret enim anxius ne, omissa fide, profanum absolvisse carmen, vel salva fide, poetica venustate destitutos versus condidisse videatur. Negotii etiam difficultatem adeo non elevat, ut contra eam adaugeat, nec plane innotescat nobis quid periculi tanto terrore reformidet. Ita enim ait[2] : « Quanquam quilibet acer ille doc« tusque sit, si religiosi propositi stylum non minus fidei « quam styli lege servaverit, vix aptus esse poemati « queat. Quippe quum licentia mentiendi, quæ pictoribus « ac poetis æque conceditur, satis procul a causarum se« rietate pellenda sit. In seculari namque versuum opere

[1] Epist. XXXVIII, epist. XLV Apollinari, se grato animo accepisse ait benignum Apollinaris de carminibus judicium. Epist. XIII Contumelioso episcopo se opus misisse refert.

[2] Præfatio ad Apollinarem fratrem.

« condendo, tanto quis peritior appellatur, quanto elegan-
« tius, imo, ut vere dicamus, ineptius falsa texuerit. Taceo
« jam verba illa et nomina, quæ nobis nec in alienis qui-
« dem operibus frequentare, ne dicam in nostris conscri-
« bere licet : quæ ad compendia poetarum, aliud ex alio
« significantia plurimum valent. Quocirca secularium ju-
« dicio, qui aut imperitiæ, aut ignaviæ dabunt, non uti nos
« licentia poetarum, plus arduum quam fructuosum opus
« aggressi, divinam longe discrevimus ab humana existi-
« matione censuram. Quoniam in asserendis quibusque
« rebus, vel etiam prout suppetit, explicandis, si quacum-
« que ex parte peccandum est, salubrius dicente clerico non
« impletur pompa quam regula, et tutius artis pede, quam
« veritatis vestigio, claudicatur. Non enim est excusata
« perpetratione peccati libertas eloquii. Nam si pro omni
« verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem
« redhibere cogentur, agnosci in promptu est, illud pericu-
« losius lædere, quod tractatum atque meditatum et ante-
« positum vivendi legibus, loquendi lege præsumitur. »

Ex hac obscura præfatione, sequetur, si recte intellexerimus, Avitum religioso metu fuisse deterritum ne nova et profanis scriptoribus similia excogitaret et ideo timuisse ne solita versuum venustate poema careret. Utcunque se res habeat, certum et definitum argumentum aggreditur, sacrorum librorum diligentissimus observator. At quotiescumque nova fingendi, salva fide, se dat occasio, exspatiatur ardens, musæ liberiori habenas laxaturus. Inde tot excursus, tot procursiones quibus offenduntur lectores, at quibus delectatur. Hic se poetam sentit, hic musæ indulgere sibi licitum esse existimat : hæc loca viris secularis musæ studiosis proponit.

CAPUT V.

DE AVITI CARMINIBUS IN GENESIM.

PARS PRIOR : DE PRIMIS HOMINUM PARENTIBUS CARMINA.

In quinque poematis sacrorum librorum auctoritatem et testimonia secutum esse Avitum diximus. At duo a ceteris nunc sejungere licet, quartum scilicet quintumque, quum nec alterum tertii, nec alterum quarti sit continuatio, at utrumque viribus propriis stet et secum cohæreat. Cetera autem ita inter se nexu pendent ut tres unius poematis libri esse videantur. In uno enim, Avitus primum Virum primamque Mulierem a Deo creatos canit et in sede felici collocatos. In secundo narrat qua ratione a serpente decepti, Dei jussa violaverint primi parentes. In ultimo autem, iram Dei describit et quas a noxiis Adam et Eva pœnas exegerit indignatus. Inde hæc tria poemata ita operis lege inter se juncta stant ut :

Primo *nec* medium, medio *nec* discrepet imum,

at in unum merito conflentur sit necesse. Ab his igitur singulariter et una inspectis incipiendum.

I

Aviti poematum liber primus. — De initio mundi.

Non inferendum est ex poematis titulo Avitum orbem intra sex dies creatum tantummodo hic descripsisse, et

sacros libros fideli et adeo timido versu esse secutum, ut cum primo fingendi mundi die incipiat, cum ultimo autem, et fabricato homine desinat opus. Non ita: Dracontii, et Marii Victoris solo tritam viam deserit, et eis incognita ingreditur loca. De primo enim homine præcipue tractat et ea breviter attingit, in quibus longius isti erant immorati.

Quod operis sui sit propositum, solemni modo, etsi laboriosius, exponit Avitus, verborum et sententiarum ambitu, Virgilii exordium in *Georgicis* quodam modo imitatus. At, quanto præstant romani poetæ apti, concinni brevesque versus! Nonne autem mirandum est Maronis carmina adeo his in seculis viguisse, ut eum auctorem christiani poetæ, etiam inviti, sequantur. Religiosum quidem opus ea mente versu condere plerumque aggressi ut profanæ musæ, id est Virgilii, sacra integraque musa locum excipiat, mox ultro ipsum, ut supra vidimus, Virgilium, vel in centones discerpunt, vel callide detorquent propriisque immiscent carminibus, ita ut, quem ex omnium corde evellere et eruere student, idem, in ipsorum pectore, quamvis repugnent, primas obtineat.

Paucis versibus, nec omni virtute carentibus, Avitus, quæ de creato orbe retulerunt sacri libri, contrahit:

Jam [1] Pater omnipotens, librantis pondere verbi,
Undique collectis discreverat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis.
. . . .
Pulchra repentino vestita est gramine tellus:
Accepere genus, sine germine jussa creari,
Et semen voluisse fuit. Sic ubere verbo
Frondescunt silvæ: teneris radicibus arbor
Duravit vastos parvo sub tempore ramos.
. . . .

[1] Lib. I, vers. 14-50.

Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatuque suo perfectus constitit orbis,
Tum Pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere vultum,
Illustrans quodcumque videt : placet ipsa tuenti
Artifici factura suo : laudatque Creator
Dispositum pulchro quem condidit ordine mundum.

Illis versibus, ut opinor, poetam se esse probat Avitus, longeque alium ac monstraverat epistolarum oratio. Si maculis aliquot vir nimis emunctæ naris offenditur, est tamen quod tollere velis. Concinnis elegantibusque pedibus stat versus, verbumque illud : *Et semen voluisse fuit*, Lucanus forte non repudiaret.

Non discrepant verba quæ Deus profert, dum creandi hominis consilium instituit, qui ipsius Numinis

Induat[1] interius formosa in mente figuram...
Qui regat æterno subjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cœlique vias et sidera norit...
Accipiat rectos in cœlum tollere vultus.

His haud prave Avitus Virgilium Ovidiumque sequitur, quorum alter dixerat :

Cœlique vias et sidera monstrent ;

Alter autem :

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Protinus autem in vitium labitur Avitus, dum narrat quomodo Deus hominem effinxerit. Hic enim deprehenditur quæ optimos etiam invadit, ubi defloruerunt

[1] Lib. I, vers. 58-70.

litteræ, judicii corruptela. Istis nempe in seculis, scriptores sui impotentes, modum retinere jam non valent, id unum studentes, ut sibi nova, mirabilia subtiliaque dicentibus applaudatur. Idcirco, quotiescumque se dedit occasio acutissime cogitatos et politos condendi versus, eam cupidissime amplectuntur, in rerum tenuitatem tam avide descendentes, et circa singula adeo morati, ut materiam nisi exhaustam, lectoremque, nisi nauseantem deserant. Sic Avitus legenti fastidia movet, dum quinquaginta versibus Deum ostendit hominis corpus fabricantem. Vel minima quæque depingit; frontem, nasum, aures, linguam, costas, pulmonem, unguesque ipsos qui secti recrescunt, nihil omittit. Præcepta dicas de sculptura, in quibus percensentur singula quæque corporis humani membra, quæ artifex vicissim arte sua informare debeat. Nimia igitur hac descriptione in culpam incidit Avitus, imo libentissime incurrit, et hujus modi comparatione gloriatur, nedum hanc horreat, dicens :

Non aliter quam nunc opifex, cui artis in usu est
Flexere laxatas per cuncta sequacia ceras,
Et vultus implere manu, seu corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massa;
Sic Pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, et in lento meditatur viscera cœno [1].

Impedimenta ludibrio habuisse videtur dum ea versu condit quæ versuum jugum invita patiuntur; at, inter hos conatus perit vis poetica, superest tantum versificatio.

Jam informatus homo erectis stat plantis et omnia circa

[1] Lib. I, vers. 76. Eodem loco in eamdem culpam incidit Masenius jesuita qui *Sarcotheam* edidit : etenim dum creatum hominem, maxime in hoc Avitum secutus, describit, tamdiu in singulis minutatim enumerandis hæret, ut non poetam sed medicum de corporis humani structura loqui existimes.

se circumspicit, novumque mundum cœlique figuras miratur. Hæc admiratio recenter effictum decet hominem, sed pluribus oportebat versibus eam depingi. Dracontius frigidioris sane venæ poeta hoc aptius intellexit, et, narrata in paucis versibus hominis fabrica, insuper addit :

Et vocem compago dedit, nova machina surgens,
Auctorem laudare suum gavisa quod esset.
Tunc oculos per cuncta jacit : miratur amœnum
Hic florere locum, sic puros fontibus amnes
Quatuor, undisonas stringenti gurgite ripas
Ire per arboreos saltus, campos que virentes
Miratur : sed quid sit homo, quos factus ad usus,
Scire cupit simplex, et non habet unde requirat...
Nam consorte carens, cum quo conferret, egebat.
(Carmen *De Deo.*)

Idem dixerat Marius Victor, sed brevioribus verbis. Idem adhuc apud Miltonem reperias. Adam enim se a Deo creatum fuisse angelo Raphaeli narrat, illaque eleganter ait quæ ad verbum, quantum possumus, his infra carminibus transtulimus :

Ceu sopita gravis fugisset corpora somnus,
Me sensi in picta resupinum molliter herba.
Suave halans tepido manabat pectore sudor,
Quem sol fumantem radiis ferventibus hausit.
Protinus ad cœlum mirantia lumina verto,
Atque immensa poli lustro convexa, sed, ecce
Sponte sua se membra movent, rectusque supinas
Ad sedes veluti tendens, vestigia firmo.
Tunc collem aspicio vallemque nemusque profundum [1]...

At quemadmodum in depingendis Adam sensibus Avitus

[1] *Paradise lost*, VIII, 253.

As new wak'd from soundest sleep
Soft on the flow'ry herb I found me laid
In balmy sweat, which with his beams the sun
Soon dry'd, and on the reaking moisture fed.

brevior, ita longior et redundans nimium Milto. Apud eum enim Adam lassas Raphaelis aures verbis onerat, dum de astris loquitur, et quid de pluribus sideribus et orbibus sentiat, scite disserit. Non jam Adam, at doctus Milto orationem habet.

Mulieris origo lævo dormientis Adam lateri subductæ, largam canendi materiam poetæ suppeditabat. Eam tamen Avitus neglexit, dum aliud respicit; non nobis ostendit Adam recenter creatæ gratiam leporesque mirantem, at ea vix tantum dicit :

Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum subito procedit femina vultum.

Felicior autem his versibus Dracontius fuerat :

Mox juvenis de parte, brevi formatur adulta
Virgo, decora, rudis, matura tumentibus annis,
Conjugii sobolisque capax, quibus apta probetur ;
Et sine lacte pio crescit infantia pubes.
Excutitur somno juvenis, videt ipse puellam
Ante oculos adstare suos, pater, inde maritus,
Non tamen ex coitu genitor, sed conjugis auctor.
. . . .
Constitit ante oculos nullo velamine tecta,
Corpore nuda simul niveo, quasi nympha profundi,
Cæsaries intonsa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla, manusque,
Vel qualem possent digiti formare Tonantis.

(Carmen *De Deo*, lib. I.)

Hæc, quamvis et maculæ multæ sint, poetæ sunt. Eadem

Strait toward Heav'n my wond'ring eyes I turn'd,
And gaz'd a while the ample sky, till rais'd
By quick instinctive motion, up I sprung,
As thitherward endeavouring, and upright
Stood on my feet : about me round I saw
Hill, dale, and shady woods.....

Milto mira arte descripsit, et carmina quibus Adam narrat[1] se primum venustam modestamque Evam aspexisse, notiora sunt quam ut ea subscribamus.

Mox autem deprehenditur quare Avitus tam facilem materiam non curaverit. Quidquid enim ad musæ lenocinia pertinet negligens, ad altiora et severiora se evehit, et majora mente concipit. Scilicet, quemadmodum e rupto primi hominis lævo latere oritur Eva cunctorum hominum mater, ita ex abscisso Christi cruci affixi lævo latere oritur Ecclesia, cunctorum christianorum parens. Hoc elate pulchreque inventum ita concluditur :

> Inde quiescenti (Christo), gemina dum nocte jaceret,
> De lateris membro surgens, Ecclesia nupsit[2].

Præcipuam autem in hoc libro sedem obtinet terrestris Paradisi, in quo locantur Adam Evaque, descriptio. Quicumque enim prima nascentis mundi tempora poetæ cecinerunt, hanc operis partem omni poesis flore et omnibus eloquentiæ luminibus decoraverunt[3]. Eorum exemplum secutus Avitus centum et viginti versus in describendo Paradiso consumpsit. Quam ubertatem nec laudamus nec miramur : multo enim satius erat eadem, decisis multis, depinxisse, et brevius dixisse. At loca multa reperias optime tractata, versusque aptos eleganterque effictos. Idem susceperat Dracontius, at multo inferior offenditur. Etenim non Paradisum christianum, sed felicem quamdam regionem canit, ita ut dicas antiquum poetam ætatis aureæ delicias

[1] *Paradise lost*, VIII, 500.

[2] Lib. I, vers. 169.

[3] Claudius Marius Victor 80 versibus, quorum multi optime sunt conditi, Paradisum describit. Quos dum nequimus hic proferre, ad ipsum poetæ opus lectorem vocamus. Eadem Dracontius 26 versibus effinxerat.

more suo celebrantem. Aviti et Marii Victoris versus eadem obsoleta quibusdam partibus attingunt (nec aliter res se habere poterat), at verum Paradisum hi poetæ concelebrant, qualem retulere sacri libri, qualemque primi christiani sibi mente effingebant.

Hic ver assiduum cœli clementia servat[1]:
Turbidus auster abest, semperque sub aere sudo
Nubila diffugiunt jugi cessura sereno,
Nec poscit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne solum, terræque tepentis
Blanda nitet facies : stant semper collibus herbæ,
Arboribusque comæ. . . . .
Lilia perlucent nullo flaccentia sole,
Nec tactus violat violas, roseumque ruborem
Servans perpetuo diffundit gratia vultu.
Sic quum desit hiems, nec torrida ferveat æstas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
. . . .
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent : varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.

Multa præterea sunt quæ proferre facillimum esset. Quæ omnia et probe inventa et probe dicta esse fatendum est; optimus profecto hic versus est :

Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.

Attamen felicior hoc loco, apud Marium Victorem sententia quædam invenitur, quum ipsas arbores fingit fremitu suo Dei laudem canentes. Hæc apud Avitum desideratur :

Quaque tumens blando sensim jactata fragore
Commotis trepidat foliis, sonat arbore cuncta

[1] Lib. IV, vers. 222-258. At descriptio incipit a versu 192 et ad versum 298 tendit.

Hymnum silva Deo, modulataque sibilat aura
Carmina, nec vacuus vanum quatit aera motus [1].

Sæpius Aviti versibus collata fuerunt quæ de Paradiso Milto cecinit. Perspicuum enim est duos illos poetas, quum eadem depingenda curarent, eadem nonnunquam vel simillima dixisse. At plura adhuc discrepant, ita ut in universum similes, singillatim vero dissimillimos eos offendas. Ex Miltonis descriptione tamen, exempli instar, proferenda sunt hæc quæ jam protulit Guizottius, at nos ex ipso auctore latine vertimus [2]:

Hæc sedes vario recreabat lumina visu :
Hic et odoriferæ stillabant arbore guttæ,
Dum procul Hesperidum pendebant aurea poma.
Scilicet his tantum silvis, non falsa videntur

[1] Cl. Marius Victor, *Comment. in Genesim*, lib. I, vers. 234.
[2] *Paradise lost*, IV, 246.

Thus was this place
A happy rural seat of various view :
Groves whose rich trees wept odorous gums and balm ;
Others whose fruit burnish'd with golden rind,
Hung amiable, Hesperian fables true,
If true, here only, and of delicious taste :
Betwixt them lawns, or level downs, and flocks
Grazing the tender herb, were interpos'd ;
Or palmy hillock ; or the flow'ry lap
Of some irriguous valley spread her store,
Flow'rs of all hue, and without thorn the rose.
Another side, umbrageous grots and caves
Of cool recess, o'er which the mantling vine
Lays forth her purple grape, and gently creeps
Luxuriant. Meanwhile murm'ring waters fall
Down the slope hills, dispers'd, or in a lake,
That to the fringed bank with myrtle crown'd
Her crystal mirror holds, unite their streams.
The birds their choir apply ; airs, vernal airs,
Breathing the smell of field and grove, attune
The trembling leaves, while universal Pan,
Knit with the Graces and the Hours in dance,
Led on th' eternal spring.

Quæ super Hesperia jactavit fabula mendax.
Rarius hic nemus est : illic viridantia prata
Et teneram pecudes attingunt graminis herbam ;
Aut surgit tumulus palmarum lætus honore,
Dum liquidis perfusa undis, sua munera vallis
Innocuasque rosas tribuit, florumque catervam.
Haud procul invenias latebras gelidosque recessus
Antrorum : hos viridi circumdat vitis amictu
Luxurians. Colle interea cadit unda supino,
Cum fremitu, mox in rivos se spumea findit
Atque lacus speculum invadit, qui curva fideli
Littora reddit aqua, myrtis umbratus opacis.
Hic cecinere choros volucres ; hic flamina veris
Suavem agri et nemoris circum spargentia odorem,
Ad modulos cantus, frondes movere trementes,
Dum Pan atque leves Horæ, dum Gratia triplex
Saltantes agitant æterni tempora veris.

Hæc et alia apud Miltonem pulcherrima et egregie dicta ; at sibi finem imponere britannicus poeta nescit ; moxque, ut illi sæpe vituperationi est versum, apparent in Paradiso et Ennæ agri, Daphnesque nemora, Castaliæque undæ, et quidquid musa profana olim cecinerat.

Hac igitur parte præstat Avitus. Etenim antiquitati quamvis sit propior, ea, quæ fabula refert, dedignatur et a se longe trudit, et de rerum natura simplicius sentit.

Laudanda præterea forent quæ de sacris fluminibus et de Nili solemni exundatione perito versu narrat Avitus, at omnia proferre non fas ; hæc legat apud Avitum quicumque prima legendi fastidia vincere audebit : non is operæ pretium dolebit se perdidisse.

II

De originali peccato.

Secundus qui de originali peccato est liber, majorem et inveniendi et dicendi vim testatur. Egressus enim Avitus omnem et creati mundi et Paradisiacæ sedis primis parentibus datæ descriptionem, in medias res auditorem rapit et majora suscipit. Traditam per sacros libros historiam sequitur quoque, at plenius audaciusque tractat, sive eo uberiorem dicenti materiam præbent quo rem brevius narrant mosaici libri, sive his difficultatibus poeta solutus quæ cujusque operis initio solent obstare, aera jam liberiorem captat.

Primum felicitatem apte describit qua Adam Evaque simul in Paradiso fruuntur, elegantique versu fortunata illa tempora depingit. Mox æternum generis humani hostem inducit, illiusque et priorem gloriam et præsentem conditionem narrat. Quem nec turpem, nec deformi corpore horribilem, nec puerilibus modis homines lacessentem, illive monstro similem, quod ætatis mediæ sculptores scriptoresque informaverunt, nobisque tradiderunt, effingit. Non ita, mente excelsiora concipiens, et Deo et homine digniora, huic servat pristinæ gloriam decusque figuræ:

> Angelici fervens superest natura vigoris[1].
> Horrendum dictu, signisque notabile monstrum :
> Nam quidquid toto dirum committitur orbe,
> Iste docet, scelerumque manus ac tela gubernat,

[1] Lib. II, vers. 55 ad 77. Cædmon poematis saxonici auctor (mortuus circiter 680) in libro *Paraphraseos* quo fere eadem quæ Avitus cecinit, similia de dæmone sentit, et huic eximiam formam summamque pulchritudinem, ut angelum decet, assignat.

Pugnat, et occultus per publica crimina latro.
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus...
Apparens nec non pulchro ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentens obscena in corpora visus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruscat,
Accenditque animos auri fallentis amore.
Nulli certa fides constat vel gratia formæ :
Sed quo quemque modo capiat, teneatque nocendo
Opportuna dolis, clausæque accommoda fraudi,
Sumitur exterior simulata fronte figura.
Major adhuc etiam sævo permissa potestas,
Ut sanctum vincat; dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed post ad pravos subversor transtulit usus.

Non ab ista descriptione dissentiunt verba quibus Satan in novum hominem invehitur, seque omnia tentaturum jactat, ut illum pessumdet suaque pariter obruat ruina. Imo nonnulla invenire licet quæ concisam et in excogitando et in dicendo Lucani vim ad memoriam legentis revocant.

Proh dolor [1]! hoc nobis subitum consurgere plasma,
Invisumque genus nostra crevisse ruina !
Me celsum virtus habuit : nunc, ecce rejectus
Pellor, et angelico limus succedit honori !
Cœlum terra tenet ! vili compage creata
Regnat humus, nobisque perit translata potestas !
Non tamen in totum periit : pars magna retentat
Vim propriam : summaque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat ; jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima salus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit...
Si nequeo clausos iterum conscendere cœlos,
His quoque claudentur. Levius cecidisse putandum est,
Si nova perdetur simili substantia casu,
Si comes excidii subeat consortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.

[1] Lib. II, vers. 89 ad 115.

Nec diu quærit qua ratione cum sobole parentes humani generis possit perdere, propriæ ruinæ memor, nec mali ignarus, eodem modo quo ipse cecidit, incautos pessumdare aggreditur :

« Quæ me jactantia cœlo
« Depulit, hæc hominem Paradisi limine pellet. »
Sic ait, et gemitus vocem clausere dolentis.
(Vers. 115.)

Hæc poetice inventa et efficta noverunt nec Dracontius nec Marius Victor. In eo enim toti ut traditam a Mose narrationem versu exprimant, vel potius ingenio destituti et musarum haustus expallentes, nec Satanæ iras nec invidam adversus hominem objurgationem depingere sustinuerunt. Quin etiam, serpentem nescio quem inducunt *callidum* [1], *squamoso corpore horrentem* [2], cujus sermone extemplo decepta, fatale malum Eva arripit. Unus Avitus ad majora se evexit, dignumque se præstitit qui cum Miltone, e longinquo tamen, conferretur. Etenim Milto Satan in Paradisum dolo irrumpentem et primorum parentum visu primum attonitum, mox iras concipientem, et talia furore et misericordia permixta fingit expromentem [3] :

O sedem infernam ! quid tristia lumina cernunt ?
Excepere vices nostras, nostrisque fruuntur

[1] Claudius Marius Victor.
[2] Dracontius.
[3] Milto, IV, 358 :

O hell ! what do mine eyes with grief behold ?
Into our room of bliss thus high advanc'd
Creatures of other mould, earth-born perhaps,
Not spirits, yet to heav'nly spirits bright
Little inferior ; whom my thoughts pursue
With wonder, and could love, so lively shines
In them divine resemblance, and such grace
The hand that form'd them on their shape hath pour'd.

Deliciis, vili sata forte animalia limo,
Non divina quidem, divinæ at proxima formæ.
Hæc ego, demirans, stupefacto lumine lustro,
Diligere et possem ! tam grato bina Tonantem
Ore Deum referunt oculis, tantoque decore
Ingenuos artus ornavit dextra creatrix !
Heu ! par eximium ! tibi quot funesta propinquent
Jam mala, non sentis : tua mox vanescet inanis
Prosperitas ; te sæva premet fortuna vicissim,
Hoc gravior, quo læta magis tibi fata fuere.
Prosperitate tumes ! Sed te circumdat inerme
Cura minor, quam deliciis ut pace fruaris.
Hic locus, hoc cœlum non custoditur, ut æquum est,
Nec valet ingressum me nunc excludere claustris.
Non ego sum vobis animo infensissimus hostis :
Desertos etiam miseror vos : attamen, olim,
Nullus me casu lapsum est miseratus atroci !

Ah gentle pair ! ye little think how nigh
Your change approaches, when all these delights
Will vanish, and deliver ye to woe ;
More woe, the more your taste is now of joy :
Happy but for so happy ; ill secur'd
Long to continue ; and this high seat, your heav'n
Ill fenc'd for heaven to keep out such a foe
As now is enter'd ; yet no purpos'd foe
To you, whom I could pity thus forlorn,
Though I unpitied. League with you I seek
And mutual amity, so strait, so close,
That I with you must dwell, or you with me
Henceforth. My dwelling haply may not please,
Like this fair Paradise, your sense ; yet such,
Accept your Maker's work ; he gave it me,
Which I as freely give : hell shall unfold,
To entertain you two, her widest gates,
And send forth all her kings ; there will be room
(Not like these narrow limits) to receive
Your numerous offspring. If no better place,
Thank him who puts me loath to this revenge
On you who wronged me not for him who wrong'd.
And should I at your harmless innocence
Melt, (as I do,) yet public reason just,
Honour and empire with revenge enlarg'd,
By conqu'ring this new world, compels me now
To do what else, though damn'd, I should abhor.

Perpetuum et concors et firmum pangere fœdus
Vobiscum est animus, longa et commercia inire,
Ut vobis una atque eadem sit, quæ mihi, sedes.
At mea forte domus non pectora vestra juvabit,
Quantum, ubi nunc estis, latebris Paradisus amœnis :
Hanc idem tamen effinxit Deus : hanc dedit olim
Ille mihi, hanc totam vobis impertior ultro.
Ut vos accipiat, vastissima limina pandet
Orcus, et ingressis properans rex obvius ibit :
Is locus, exiguo hoc longe spatiosior horto,
Innumeros gremio poterit cohibere nepotes.
Si mea non vobis placuerint regna, licebit
Non mihi perpetuas, ast illi solvere grates,
Qui memet pœnas a vobis poscere cogit
Invitum innocuis, cladem ut patiatur et ipse
Qui mea tam memori prostravit pectora clade.
Vos miseros! animum movet hæc innoxia vita
Frustra! nempe furor vindictæ, et publica cura,
Imperiumque novo dilatandum orbe subacto,
Consiliis hærere jubent, quæ pectore toto,
Si fas, horrerem, quamvis damnatus et exsul!

Pulcherrima quidem hæc Satanæ verba, at non multo inferiores illis Aviti versus. Apud Miltonem enim nonnulla reprehendere licet quibus severioris judicii vir haud immerito offenditur, longiora subtilioraque. Quum simplicitate carent nonnunquam Satanæ gemitus, tum nimis multos complectuntur sensus, dum apud Avitum una et eadem minatur Satan, et cladis suæ æternum memor, hominem secum communi ruina perdere vult; hoc unum aggreditur, hoc studet unum. At hanc miram misericordiam nescit quam nullus nisi maximus poeta sublimi poterat ingenio concipere.

Illo loco dignus visus est Avitus qui cum Miltone non sine quodam honore compararetur; nonnullis quoque virtutibus eminent quæ de seducta a serpente femina antistes finxit. Dum omnia hæc silentio prætermittit Dracontius, dum pauca et pæne ridicula refert Marius

Victor, serpentem Avitus inducit, quam faciles adulanti mulier aures præbeat non ignarum, illamque dulcissimis verbis callide fallentem :

O felix, mundique decus, pulcherrima virgo!
Ornat quam roseo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Exspectat matrem, tu prima et certa voluptas
Solamenque viri, sine qua non viveret ipse[1]...

Aptissime Avitus varios quos patitur Eva, dum serpens loquitur, sensus (vers. 245-260), primo mirantem attonitamque, mox grate permulsam recreatamque effingit, postremo labris admoventem pomum et continuo repellentem et mente anxiam, dum mellitis tandem serpentis vocibus morantem incusantis seducta, malum avido mordeat dente et conjugi audax portet, inque sceleris consortium venire virum jubeat.

Sume cibum, dulcis, vitali ex germine, conjux[2],
Quod similem summo faciat te forte Tonanti,
Numinibusque parem; non hoc tibi nescia donum
Sed jam docta fero; primus mea viscera gustus
Attigit audaci dissolvens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse virilem
Quod mulier potui! præcedere forte timebas;
Saltem consequere, atque animos attolle jacentes!
Lumina cur flectis? cur prospera vota moraris
Venturoque diu tempus furaris honori?

Eadem apud Miltonem, sed longius et latius fusa, reperire licet. Multa (nec aliter res sese habere potest) in utroque similia : præstantior quidem interdum brevitate et simplicitate videtur Avitus, in hoc vero loco longe inferior. Hominem enim fingit, nec cunctantem nec recusantem,

[1] Lib. II, vers. 145.
[2] Lib. II, vers. 242.

at statim ab uxore pomum accipientem, et ita avido vorantem dente, ut ipse in injuriam nec conscius ultro incurrere videatur. Quanto peritius Adam Milto subjicit oculis, horrentem, et pallidum, scelusque uxoris exsecrantem, at fatale venenum, mentis suæ compotem, absorbentem, ne perdatur sola conjux, ne dividatur ab illa maritus, ut communi vel prospera vel adversa uterque jam utatur fortuna[1]. Hæc explicandi delicti ab Adam admissi ratio pulcherrima est et excelsissimo ingenio digna. Eamdem repudiavisset Avitus, imo religioso horrore impulsus, novæ vertisset Adam vituperationi, quod delicti conscius, et sui compos, maluisset cum Eva se in æternum perdere, quam illam deserere, et alteram Evam ex altero latere creatam a Deo accipere[2]: aliter enim poeta, aliter episcopus sentiret, erat necesse.

Ut narravit Avitus quibus ceciderint Adam et Eva artibus, liber concludendus erat. Hoc erat probi rectique judicii; at antistes, pia raptus indignatione, amissamque per utrumque ægre ferens felicitatem, in vitia longius invehitur, quæ ex insana ista omnia noscendi cupiditate, ab orbe creato in terras manaverunt. Artem scilicet magicam, impiumque ex astrorum signis quæ cuique ventura sint notandi morem, gravissimis probris lacessit, nec Marsos omittit sacerdotes, qui serpentes ita domare percallebant ut dociles et innoxios tractarent impune.

Nec satis : e priori instituto longius etiam discedit, amaro et mordaci illo in mulieres ingenio præreptus, quod apud christianos scriptores et apud Ecclesiæ Patres sæpe offenditur. Evæ *malorum*, ut ait, *scrutatrici* illam adjungit mulierem quæ proprium non vicit Adam, solaque perivit. Quibus obscuris verbis uxorem Lothi significat : cujus ut

[1] Milto, IX, 916.
[2] Dracontius.

peccatum lectorem doceat, Sodomæ excidium, fugamque justi viri quem Deus unum in urbe invenerat narrat, pravamque uxoris cupidinem, mortis causam, non ita breviter describit.

Quibus in versibus, quasi fatali quadam lege sit constitutum, ut quæ excogitando male inveneris, eadem dicendo male exprimas, sæpe reprehendendus est Avitus, adeo multa adsunt pravi judicii vestigia. Cujus rei in exemplum versus ridiculos proferre satis est quos, ut mulierem in simulacrum e sale mutatam fuisse narravit, Avitus subjungit :

> Et tunc insipido mulier præventa reatu,
> Plus salsum sine mente sapit, quæ pungere sensus
> Exemplique potest salibus condire videntes.
> (Vers. 397.)

Tandem postquam tot versibus lectoris animum a proposito ita detorsit poeta, ut fere omnino Adam Evæque culpam sit oblitus, ad eosdem revertitur, verbaque ovantis serpentis refert.

Attamen quamvis in hoc libro et præsertim in ultima parte sæpe peccaverit Avitus, et in vituperationem nonnunquam ceciderit, plura adhuc supersunt laude digna, nec immerito priore præstantior ob varias inveniendi et dicendi artes liber ille est existimandus.

III

De sententia Dei.

Quo hic liber signatur nomine, eo indicantur quæcumque narraturus est Avitus. Scilicet Adam et Eva, culpæ conscii, in silvas, ut lateant, confugiunt, et fici fronde

corpora nuda velant. Interea, Deus ultor utrumque vocat, et dum conjux uxorem, illa autem serpentem incusat, serpentem primum, mox ambos ad gravissima damnat supplicia præsentique et læta sede exulare jubet. Necnon mutatur ipsa tellus : extemplo felicitati calamitas, bonisque succedunt mala, et orbem, æternum mansura, invadunt.

Quamvis ea quoque, ut priora, narrent mosaici libri, nihilque aliud nisi nota versu exprimere poetæ supersit, erant tamen quæ poeta traditis addere posset, aut saltem dicendo exornare. Non defuit operi Avitus, licet hic quoque in gravissima vitia inciderit.

Optime enim hunc terrorem Avitus pingit quo implentur infelices Adam Evaque, ut præsentem Deum sentiunt :

Tristi tunc luce perosam
Expavere diem detecto in crimine testem...
Sic miseri, mortem nondum discrimine notam,
Cum primum meruere, volunt.

(III, vers. 30.)

illorumque horrorem ab eo luctu non discrepare affirmat quo mortales ultimi judicis adventum sunt exspectaturi, felix si comparationem non ultra modum protulisset, nec quæ de supremo judicio narrantur ita produxisset, ut Adam Evæque immemores jam evadamus.

Potiora sunt quæ interroganti Deo sævaque voce miserum reprehendenti Adam respondet :

Heu! male perdendo mulier conjuncta marito !
Quam sociam misero prima sub lege dedisti,
Hæc me consiliis *vicit devicta* sinistris,
Et sibi jam notum persuasit sumere pomum.
Ista mali caput est, crimen surrexit ab ista.
Credulus ipse fui, sed credere tu docuisti,
Connubium donans, et dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam sola vigebat,

Cælebs vita foret, talis nec conjugis unquam
Fœdera sensisset, comiti non subdita pravæ!
(Lib. III, vers. 98-108.)

Nonne hæc verba : *utinam felix cælebs vita foret*, querelas veteris illius Romani ad memoriam revocant deos incusantis, quod genus humanum non possit sine mulieribus perpetuari? Eadem sententia apud Miltonem invenitur[1]. Damnatus enim a Deo Adam et sortem secum indignatus, in conjugem solatia tentantem invehitur; procul a se removet, Deumque incusat quod, quemadmodum angelos, ita homines, sine uxoribus non creaverit, aut aliam non invenerit propagandi generis humani viam; eadem igitur in utroque poeta inveniuntur, at hic Avitus simplicitate præstat, et breviora fingens, superat nervis.

Quas autem Deus in serpentem et in feminam virumque vicissim sententias profert, eas poeta e Scripturis arripuit et apte conditis versibus reddidit. Quum vero hæc perpetua excerpere non possimus, ea tantum ad memoriam revocemus quibus Deus degenerem, imo infensam homini futuram tellurem prædicit[2]:

Exemploque tuo semper tibi terra rebellans,
Vepribus et tribulis armata, resistere discet;
Aut si frangenti cedens succumbet aratro,
Vomeris et fixo mordacis dente subacta est,
Pinguia decipient mentito germine culta,
Nam pro triticeo lolium consurgere fructu,
Et fictas segetes vacuasque dolebis avenas...
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam,
Et simul herbarum succos, pastumque requirens

[1] Milto, X, 863-897.

[2] Eadem apud Dracontium et Marium Victorem inveniuntur. Sed uterque traditam a sacris libris historiam, Deique verba paucissimis refert versibus nulla virtute eminentibus. Animadvertendum est quoque ipsum Miltonem breviorem solito hic fuisse, et ea fere tantum finxisse quæ tradiderunt Mosis libri.

Stercore consimili depressa gravabitur alvus...
Ante tamen, proprium nati præcurrere letum
Conspicies, pœnasque tuas in prole videbis,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago.
Peccasse agnosces quid sit, quid mortua fleri,
Quid ve mori[1]!

Idcirco vix Adam e sede felici expulsus est, quum lacrymas novas et dolorem prius incognitum sentit, et miseri pectus ita subit vitæ beatæ recordatio, tantumque amissæ desiderium, ut si redderetur conditio præterita, quoscumque labores potissimum lætus toleraret. Hinc Avitus ea narrandi occasionem arripit, quæ de paupere Lazaro improboque divite refert Lucas, ut in secundo libro, ex Evæ culpa, quæ passa fuit Lothi uxor, proferre erat aggressus. Nec hæc felicior transitio, nec probabilior excursus at longior, quum ex 435 libri totius versibus, centum in tradendis sapientissimis quidem præceptis sed supervacuis adhibeantur. Inter hos, aliquot eximios et aptissime conditos invenies, at lectores indignantur poetam a proposito suo ita digredi, ut antistitem jam tantum exaudiant ex exedra sacra proferentem. Attamen, in memoriam nobis revocemus id fuisse Avito propositum, ut ex mosaica historia utilia traderentur christianis præcepta. Quæ nobis minus grata videntur, his præsertim lætabatur Avitus.

Multo præstantiora sunt ea, nostro saltem judicio, quibus Avitus corruptum malis orbem et pejorem factum describit, quibus pingendis ita supra se evehitur, ut Ovidium ætatis ferreæ calamitates et vitia canentem imitari nec longo sectari intervallo videatur.

Inde truces sævire feræ, dudumque timentes
Excitat ad pugnam tunc primum conscia virtus,
Reddit et armatas unguis, dens, ungula, cornu...
Inflatur ventis pelagus, volvuntur et undæ,

[1] Lib. III, vers. 160-182.

Excitusque novum turgescit pontus in æstum...
Ingratos hominum castigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbis,
Atque polus discors invidit germina terris...
Non cui vel centum linguæ, vel ferrea vox est,

(Ea mala.)

Enumerare queat: nec si quem Mantua misit
Mœoniusve canant diversa voce poetæ[1].

At dum tot et tanta damna depingit, summo Avitus opprimitur dolore, Christumque orat supplex, ut malis finem imponere velit, quum ipse pro nobis in cruce sit mortuus, quum idem ovem errantem prudens et sedulus ad ovile reportaverit.

Tunc et de filio prodigo fabulam narrat, cui pepercit clementissimus pater, nec bonum Samaritida obliviscitur, qui vulnera saucii sanavit, nec latronem qui fine sagaci, cum Christo moriens, cœlum meruit.

Quæ, licet longiora sint, et Avitum quoque in dispositione peccare testentur, tamen ad opus pertinent aptius quam supradictæ digressiones, quum poetæ liceat hæc mala deflere quæ, admisso peccato, ita orbem invaserunt, ut ea solus morte sua Deus compensare valuerit.

E tribus istis carminum libris, *Origine mundi*, *Originali peccato* et *Sententia Dei* unum conflatur poema in tres partes divisum, quod licet nunc universum complecti et uno perpendere judicio. Quo in opere Avitus videtur traditam a Mose historiam non eodem, quo Dracontius et Marius Victor, servili modo esse secutus, at lectam potenter rem proprio

[1] Vers. 330-358.

et singulari more digessisse, et additis quæ fert carminum lex, apte composuisse. Jucunda ejusdem et læta oratio, quum Paradisi delicias et beatam primorum hominum vitam depingit, mox tristis fit et severa, ut deliquere primi parentes, et rebus apte consonat. Præterea, in narranda mundi origine brevis vates, ea contrahit jure quæ ante natum hominem Deus facit, istos poetas haud imitatus, qui singula persecuti, in rerum tenuitatem descenderunt, imo eam tantum partem fusius evolvit quæ ad hominem pertinet. At ambos his præsertim vincit Avitus quæ de pelliciendaque Eva et admittendo peccato excogitavit. Tum enim nova et excellentia invenit, quæ quærenti non dabant Judæorum libri, novamque Satan personam inducens ita bene tractat, ut Miltoni non indignus æmulus, nonnunquam videatur, dum eadem in Dracontii et Marii Victoris operibus frustra desideras.

Vitia tamen multa sunt in hoc poemate quorum maximam partem sibi laudi verteret ultro Avitus, hæ scilicet digressiones in quas excurrit, ut, Adam Evæque exemplo e felicitate summa in summa mala labentium, christianos doceat superbiam fugere, nec vana cupere, at, Dei legi adstrictos, religionem toto animo amplecti, eamque ducem summa virium contentione sequi.

Quod autem ad stylum attinet, ut poetæ virtutes supra ostendimus, ita ejusdem vitia, quum de universis Aviti operibus dicetur, notabimus.

CAPUT VI.

DE AVITI CARMINIBUS IN GENESIM. PARS POSTERIOR.

I

De diluvio mundi.

In suis commentariorum in Genesim libris Claudius Marius Victor, narratis et culpa Evæ Adamque et pœnis quas ab utroque Deus exegit, continuo versu hominum historiam, refert, et Adam sceleri nova nepotum scelera addit, diluviumque describit, quo Deus iterum iratus indomitum humanum genus perdere meditatus est. Non ita in Aviti poemate *De diluvio mundi* res se habet. Unum est poema, et secum cohærens, non aliis nectitur libris, at adeo vi propria stat, ut versibus aliquot in præfationis morem conditis ordiatur. Uterque autem poeta sacras litteras ita fideli secutus est imitatione ut sæpe eadem versu haud multum dissimili dixerit; at hic etiam Avitus felici nonnulla inveniendi arte et præsertim ea dicendi virtute præstare mihi videtur. Minor tamen in hoc libro quam in prioribus inventio, at ornandæ orationis major cura, et frequentior profanorum poetarum imitatio, quamvis moneat auctor se non illud diluvium narraturum esse :

Quo fabula mendax
Victuros lapides mundum sparsisse per amplum
Deucaliona refert, durum genus unde resumpti
Descendant homines, cunctisque laboribus apti
Saxea per duram monstrent primordia mentem [1];

[1] Lib. IV, vers. 3-7.

attamen, nec inscius semper, Ovidium et Virgilium meminit.

Institutam rem extemplo aggreditur Avitus, et quo aptius pingat quot et quanta scelera admittant homines, et quam proni in licentiam missis ruant habenis, rectissima utitur comparatione. Nempe idem hominibus Dei et virtutis immemoribus accidere affirmat ac si quis fertilis natura campus incultus diu jaceat : primum subeunt dumi, fit silva, deinde hoc asylum quærunt feræ. Quæ similitudo, etsi longior, pulchra multis in locis : cujus partem tantum excerpam :

Agricola oblitus, si brachia forte remisit,
Laxavitque manus, fessoque quievit aratro,
Pigrescit primum durato cespite tellus :
Mox rudibus ramis atque aspera palmite crebro
Disciplinatos dissuescit ponere fructus,
Effundit frutices varios, silvamque minatur.
Quam si nec sera succisor falce repurget,
Non jam virgultis, sed denso stipite lucus
Texitur, et steriles diffundit in aera frondes :
Donec, conclusa ramis currentibus umbra,
Mox opportunæ depulso sole tenebræ
Jam secura feras invitent credere lustra[1].

His non plura loqui poetam oportebat, at nescit Avitus certos terminos sibi constituere, nec valet novam eadem dicendi rationem, si occurrat, repudiare; quin etiam sibi indulget ultro, ut nunc, et in alteram incurrit comparationem quæ eamdem rem refert, at quæ, licet magis obsoleta, recta tamen quoque videtur, nec est virtutis expers.

Ut fluvius parva primum diffusus ab urna
Perspicuum leni promit cum gurgite fontem,
Tramite quem summo facili transmittere saltu
Quisque potest, mox irriguo deductus ab ortu

[1] Lib. IV, vers. 42-54.

Viribus augetur subitis, ripasque retrorsum
Pellens, crescentes tendit per plana liquores,
Occupat et spatium pereuntique imminet arvo.
Tum circumfusos vicinis vallibus amnes
Sorbet præteriens, externasque incipit undas
Augmento finire suo, mixtasque sub uno
Nomine, conrasis diffuso gurgite terris,
Cum trabibus stabulisque boum, lustrisque ferarum
Sævior accessu, longoque furore potitus,
Tandem desistens, pelagi transportat in undas [1].

Cui quidem comparationi et leves maculæ et ultimus præcipue versus qui antecedentium horrorem minuit, exprobranda; nec placet quod alteri subjungitur quæ vario tamen modo, sed eadem fingit. Noluit Avitus utra esset mansura eligere, utramque admisit; at vitiosum est in libro duas comparationes sibi tam juxta succedere, quum præsertim idem sit propositum, utraque tam multis amplificetur verbis.

Divinas Scripturas secutus Avitus, longam hominum vitam, genusque gigantum pessima ausum pingit, Deumque effingit in iras ardescentem et ruinam cladem que generi humano sævis minantem vocibus, at non

. . . . . desiliens imitator in arctum
Unde pedem proferre pudor vetat...

et Mario Victore audacior qui mosaïcæ historiæ hæret adstrictus, non Deum ipsum fingit mox ventura damna nuntiantem et arcam ædificari jubentem : angelus vero, ut narrat, solitus Dei nuntius ad Noe demittitur, ex illo choro præstantissimus,

Qui laude perenni
Conclamat celebratque Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria et jussis parere supernis [2].

[1] Lib. IV, vers. 62-76.
[2] Lib. IV, vers. 192.

Hoc laudi vertendum est Avito. Non enim Deum omnipotentem at angelum tantummodo decet singula hæc de fabricanda arca, inducendisque in ligneam machinam animalibus expromere, addentem quot in cubitos longa vel lata ducenda sit, vel quam multa cœnacula aut tabulata sit Noe ædificaturus. Quæ longiorabilem legentibus multo magis moverent, si ipse Deus præcepisset.

Quum mosaïcæ historiæ linquens vestigia, hanc novam angeli Gabrielis personam induxit Avitus, Irim illam Virgilii secutus esse videtur quam Jupiter aut Juno voluntatis nuntiam ad terram mittit. Quæ quidem imitandi cura ipsis versibus deprehenditur quibus advenientem angelum, decedentemque Avitus narrat, in profanum virgilianumque at minime christianum morem conditis.

> Horrescit visu tanto perterritus *heros* [1].
>
> . . . .
>
> Hæc fatus vacuum levibus secat aera pennis,
> Mortalem fugiens aciem, cœloque relatus
> *Heroem* trepidum mandata lege reliquit.
> Ipse tamen tali manibus cum voce levatis [2] :
>
> . . . .

Num de Noe, nonne de Ænea potissimum fabula narratur? His profanis versibus non absona quæ de fabricanda arca narrantur. Opifici enim suppeditant ligna quicumque montes ab antiquis poetis celebrati fuerunt.

> Pelion immensas quum mittat vertice quercus,
> Insuper exponit multa virtute recisum
> Ossa nemus, Pindoque abies subducitur alta.
> Atlas ipse novas ictu resonante secures
> Sensit, et annosas dedit ad navalia pinus [3].

Nempe inscium in profana trahunt veteres poetæ. Nonne

[1] Lib. IV, vers. 222.
[2] Lib. IV, vers. 283-287.
[3] Lib. IV, vers. 299-303.

ipse, quoties patitur operis lex, istis placere studet delicatis quos profana ita recreabat Sidonii Apollinaris musa?

Tum diluvium incipit quod, si ad priorem libri partem, et ejusdem titulum te referas, ita paucis versibus poeta descripsit, ut absit partium convenientia. At multis hæc eminent carmina laudibus. Quum dicenti propositum esset irrumpentes in terram undas et ita bacchantes effingere ut mox crescentibus aquis oppressa ipsa montium culmina laterent, periculum erat ne majora canens poeta ad tantum opus non sufficeret, peccaretque ad extremum, viribus exhaustis, anhelus. Non ita res se habet.

Primo enim imbrem perpetuum graviter pingit qui toto de cœlo per quadraginta dies uno et semper æquali tenore manat, postea addit :

Nec longum pluviæ species, nec denique guttæ
Stillant, sed rupto funduntur flumina cœlo.
. . . .
Terrestres etiam mundus consurgit in iras;
Rumpitur omne solum, crebros dant arva meatus,
Prosiliunt fontes, ignotaque flumina manant;
Vergitur in sursum mutato pondere nimbus...
Inde cadens cœlis, hinc terris undique surgens
Occurrit mox unda sibi, junctoque furore
Conjurant elementa neci; transcenditur omnis
Riparum limes fluvii, atque objice rupto
Sævit laxatis discurrens humor habenis [1].

Ipse Oceanus fontibus et imbribus suam miscet rabiem nullique jam parcit, et gurgite exit immensus proprio,

Dissipat æternas leges et sede relicta
Regna aliena petens, naturæ fœdera turbat [2].

Deinde fluvii, quum solitum undis subtrahatur Oceani

[1] Lib. IV, vers. 439-456.
[2] Lib. IV, vers 464-466.

gremium, non jam in mare sed in terras motibus insuetis irruunt et

. . . . Versa retrorsum
Per terras spargunt sublata volumina ponto.
Insequitur tamen oceanus, refugisque fluentis
Imminet, et salsis impellit molibus amnes[1].

Illa sunt optime inventa, aut potius optime dicta. Fere eadem finxerat Ovidius et merito celeberrimus ejusdem versus ille est :

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto.

attamen christianum poetam in Ovidii vitia non incurrisse dixerim quum sincere graviterque diluvium describat, nec versus venustos, nonnunquam absurdos et ridiculos, ut ille in Deucalionis diluvio, gestiat condere.

Ut vero pereuntes homines nobis Avitus effingit, sunt quæ desideres. Brevior enim est frigidiorque quam ut tam atrocem cladem haud impari modo exprimere valeat. Horrorem profecto majorem incutit inclyta illa Girodeti tabula quam quidquid Ovidius, quidquid Avitus versu exprimere tentavit. At quanto magis peccasse Dracontium et Marium Victorem fatendum est qui tot mala, tot hominum strages, tantam orbis ruinam triginta vix versibus depinxerunt! Multo his præstat, licet sæpissime peccet, Viennensis episcopus!

In reliqua poematis parte, arcam subsistentem, et Noe cum conjuge et natis egressum, narrat Avitus. Eadem scribit Marius Victor; uterque Scripturas sectatur, at Marius Victor felicius Noe pingit terras etsi deformes, ut e carcere suo emittitur, mirantem :

Animumque volens saturare replendo[2],
Cuncta haurit, rapido perlustrans omnia visu,

[1] Lib. IV, vers. 469-474.
[2] Claudius Marius Victor, lib. II, vers. 429-436.

Ut nova miratur : noto fulgentior ortu,
Et mage sol rutilus ridet : majore sereno
Læta poli facies, et desperata virescunt
Fœtibus arva novis : sed adhuc versatur imago
Ante oculos, tantæ semper memoranda ruinæ.
. . . .

Quemadmodum in aliis libris, ita in hoc poemate Avitus sæpe digreditur nova narraturus et inexspectata quæ cum proposito primum videntur non consentire. Sic, ut exempli vice utar, quum de fera illa hominum gente loquitur quæ in vitia ultro ruit, et iram ultricem Dei movet, non temperat Avitus quin notas Græciæ et Herodoti fabulas versu attingat, illaque monstra vel mixtis hominum serpentumque membris informata vel

. . . . Verso præbentia vertice gressus

memoret. Nec obliviscitur immania gigantum adversus deos certamina, montesque montibus impositos, imo ad Judæorum libros reversus, insanum canit populorum laborem qui diluvii metu sublimem aggressi sunt turrim ad cœlum extollere, donec subita linguarum discordia irritum evaserit opus.

At modum excedit, quum homines miratus Noe inceptum, terroris expertes, derisisse, Ninivitarum opportunam pœnitentiam aggreditur dicere, virumque canit qui :

. . . . Multum terris jactatus et alto [1],

a bellua immani haustus fuit, mox et redditus terris, trepidantibus populis iram Dei minatus est, illorumque regem valuit ad meliora adducere.

Ut exemplis utilibus sapientibusque præceptis erudiantur informenturque lectores, Avitus ab rerum ordine de-

[1] Lib. IV, vers. 359.

clinat; at in probam componendorum operum rationem non impune peccatur. Isti enim discursus, dum animos a proposito detorquent, adeo non virtutis amorem injiciunt ut contra legentibus tædium afferant.

Non longis enim orationibus opus est at brevibus sententiis quæ narrationem non interscindant, ac ex ea naturali et simplici modo oriantur. Has tamen novit Avitus, has nonnunquam admittit, quamvis ad eas longioribus explicandas versibus sit propensus.

Sic, ut arcam effinxit fluctu jactatam furenti, sed ita solidam et tam firma compage munitam ut aquarum rabiem inviolata patiatur, ad Ecclesiam Avitus ultro redit ab improbis lacessitam, aitque :

Non aliter crebras Ecclesia vera procellas
Sustinet, et sævis sic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos sine more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidoque illiditur ore
Hæreseon vesana furens exinde Charybdis.
Turgida Graiorum sapientia philosophorum
Inter se tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos sufflant mendacia ventos,
Sed clausam vacuo pulsant impune latratu [1].

Pulchra rectaque comparatione hic utitur poeta quæ materiam meditationi præbet, nec modum ita excedit ut diluvium oblivisci jam liceat. Nonnullos adhuc his versibus similes locos invenias, sed sæpissime religioso studio præreptus Avitus plus æquo digreditur, summa operis infelix. At utcunque res se habet, si minor quam in ceteris inventio hoc in libro est, non minor autem dicendi facultas, pauciora etiam sunt compositionis vitia.

[1] Lib, IV, vers. 493.

II

De transitu maris Rubri.

Hic *De transitu maris Rubri* liber, ut quartus *De diluvio mundi*, a ceteris sejungi potest, quum poema absolutum sit et post alia temporum ordine tantum veniat, at nullo rerum vinculo connectatur. Cui, ut superiori, exordium ea fortasse causa additur ut contrariis contraria subtilius opponat poeta.

> Hactenus in terris undas patuisse canenti,
> Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
> Illic diluvium quos perderet ante petivit,
> Nunc ad diluvium pleno succensa furore
> Sponte sua currunt perituræ millia gentis [1].

Miseris istis Avitus exorsus argutiis, a pingenda infelice Hebræorum conditione ab Ægyptiis oppressorum opus aggreditur, mox decem calamitates quibus affligitur Ægyptus, donec captivi servitio liberentur, exponit; narrat denique Israelitarum fugam, et Ægyptiorum exercitum in mediis Rubri ponti fluctibus submersum pereuntemque pingit.

Non deerat dicenti carminum materies quam quidem Avitus ita narravit ut supra 700 versus condiderit. At dicentem et divinis Scripturis adstrictius æquo famulantem defecit vis nova et præclara fingendi. Majore enim rerum copia pressus, singula tantum leviter præstringit, et dum omnia complecti studet, nec quæ

> Desperat tractata nitescere posse, relinquit,

at nihil omittit, ita perit verborum gravitas et copia, ut

[1] Lib. V, vers. 1-6.

ceteris poematis non ab omni parte indignum, at infelicius sane et inertius esse hoc opus videatur.

Ceterum pluribus in locis obscuræ sunt sententiæ, nec non affectatæ et ambitiosæ, versusque multi non satis subtiles perspicuive, et plurima adsunt pravæ notæ ornamenta. Sic, exempli gratia, postquam desævientem Pharaonem Mosisque postulationes rejicientem, apte finxit Avitus, et quomodo virga Mosis humi jacens se in anguem converterit, peritissime narravit, addit : hoc viso :

> . . . . Conterritus hæsit
> Æternumque *niger* tunc *palluit* ore tyrannus [1].

Quod prave et nimis acute dictum est. Multa in hoc libro et in superioribus similia invenias, at nunc eo potissimum apparent et ægre feruntur quo pauciores sunt hujus carminis virtutes.

Attamen varia flagella quæ Ægyptum singula invadunt vario pingit versu ; illam autem calamitatem paulo excelsioribus modis auget quæ maximum quemque natu filium, et in regia et in unaquaque familia, morte inexspectata premit.

> . . . . Currunt flentes ad funera matres,
> Pectora contundunt pugnis, crinesque revellunt,
> Unguibus et nigras festinant scindere malas,
> Nec dominos planxere diu ; mox occupat omnes
> Luctus quamque suus, sonat unus in æthere clamor
> Non uno ex fletu. Confundit voce tumultum
> Nulla vacans a morte domus [2].

Ad regiam igitur iratæ concurrunt, regisque ferreum

[1] Animadvertendum est nigros Ægyptiorum populum et regem ab Avito fuisse creditos. Ita ægyptiæ matres (vers. 294) *nigras festinant scindere malas*, et (vers. 629) *effertur nigri dux agminis*.

[2] Lib. V. vers. 292-298.

incusant pectus, et impetrant a Pharaone ut dimittatur tandem ille populus.

. . . . Toties cui vindice dextra
Militat omne malum, toties cui denique mundus
Pugnat, et irato succedunt prospera cœlo.
Vis quædam secreta Dei, majorque potestas,
Hæc in sceptra furit, gentemque ulciscitur ipsam
Urbis jactura [1].

Multis et elatis verbis discedentes agmine Hebræos, eorum arma et ordines turmasque describit Avitus, columnamque illam attingit quæ noctu tenebras dissipat, die in densam nubem solis radios arcentem vertitur, et quæ tum procedens, Hebræos procedere, tum stans stare jubet, nec longius progredi :

Si mansit, mansere viri, si mota, secuti [2].

Malam fraudem qua utuntur Hebræi aurea Ægyptiorum vasa secum furto auferentes adeo non silentio premit Avitus ut eis laudi vertat, Deoque ipsi grates persolvat. Nisi religioso studio obcæcata fuisset poetæ mens, hunc dolum tacuisset, aut saltem non exclamasset :

Quæ tam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe Pater, qui tam sævo sic uteris hoste?
Annuit adversus, largitur munera nolens,
Quæ secum dimissa ferant, nec solvere tantum
Sufficit oppressos, opibus ditantur euntes ;
Thesaurosque novos libertas reddita sumit [3].

Mox vero Ægyptios pœnitere cœpit quod Hebræos famulos abire siverint : nec mora, aut profugos secum abducturi, aut rebelles morte mulctaturi, ad arma currunt, fu-

[1] Lib. V, vers. 310-315.
[2] Lib. V, vers. 445.
[3] Lib. V, vers. 339-345.

gitivosque prosequuntur. Quos varios sensus, ruentemque ad bella juventutem acri et celeri oratione describit Avitus. Hic locus, ut superiora quæ de fugientibus Hebræis finguntur, si ad versus spectes, apte periteque tractatur. Non tamen is omnino placet. Etenim non novos hic ingreditur calles Aviti musa quibus insistat acris et vivida, propriisque vigens viribus, poeticam Christianorum artem, si servari possit, servatura, at contra poetas profanos, ultimosque *Æneïdos* libros e longinquo sequitur et imitatur, jejunior sane et infirmior.

Præterea versus quibus monstrantur fluctus cedentes ut viam præbeant fugientibus :

> Ut summas pelagi populus pervenit ad undas,
> Cessit confestim ducti reverentia fluctus
> Expanditque viam cui terram clauserat hostis[1].

multo inferiores sunt his quæ de Aristæo flumina materna petente narrat Virgilius. Adsunt etiam prava multa aut ambitioso aut obscuro versu dicta ut hæc quæ de sole ad ima maris cedentis vix penetrante ita feruntur :

> Longior (sol) et radiis spatium descendere tantum
> Certavit, fessumque jubar vix intulit imis[2].

Attamen non in ejus poetæ vitium incidit Avitus cujus stultitiam deridet Bolæus et qui, ut hanc pompam fugientis exercitus mirentur,

> Ad vitreas pisces jubet undæ adstare fenestras,
> Et puerum pingit qui ludens itque reditque
> Et lætus properat matri ostentare lapillum[3].

At multo majorem materiam poetæ ministrat submersus cum exercitu suo, undis in priorem sedem redeuntibus,

[1] Lib. V, vers. 587.
[2] Lib. V, vers. 598.
[3] Bolæus, *Ars poetica*, vers. 264.

rex Ægyptiorum, nec indigna sunt quæ notentur hæc Aviti carmina :

Hinc subitus crepitare fragor, sonat undique circum
Lympha ruens, primum illic committitur unda
Qua monstrabat iter Phario sors ultima regi.
. . . . Trepidæ dant terga cohortes
Armaque projiciunt. Pontus fugientibus instat,
Occurritque sequens : perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.....
Quin et conspicuus princeps Memphitidis aulæ
Ultimus ingressus per currum, naufragat undis.
Bella vacant pugnante salo, vincitque quietus
Israël solo peragens certamina visu.
Tum vallis completa perit, fluctuque reverso
Ducitur extentum planati gurgitis æquor[1].

Hic stat Avitus, postquam obrutum lymphis Ægyptiorum regem, et victricem Hebræorum fugam dixit. Paucos tantum versus addit quibus opus suum condidisse et absolvisse docet, Mose auctore, et modeste excusat :

Si quid triste fuit, dictum est quod paupere versu...
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates.
. . . .
Nosque tubam stipula sequimur, numerumque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc littore pontum[2].

Qui, quidem, versus ad hos quinque carminum libros apte spectant et insuper argumento sunt hos tantum composuisse Avitum, quamvis unumquodque poema cuique Mosaïcæ historiæ libro non respondeat, at tantum ex ejus libris tres magnas res arripuerit vates, eas pio nec indigno versu celebraturus.

[1] Lib. V, vers. 660-770. Fulcoius Belvacencis (natus circiter 1020, librum edidit circiter 1073), historiam Judæorum ab orbe creato versibus descripsit. Quum transitum maris Rubri narrat, multa sane, at hoc stulte fingit :

« Piscibus æquoreis Ægypti parcite, quæso,
« Parcite ballenæ : regem, puto, sorbuit ipsa.
« Qui comedunt pisces, comedunt in pisce parentem. »

[2] Lib. V, vers. 709-719.

CAPUT VII.

AVITI POEMA DE LAUDE VIRGINITATIS.

Sextus carminum liber qui *De consolatoria laude virginitatis ad Fuscinam sororem* inscribitur, conditus post ceteros et editus fuit, si ad missam fratri Apollinari, præfationis more epistolam te referas. Quod si superiores libros non Aviti dispositio divulgavit, sed fratris amicorumque festinatio, affectuosa quidem ut ipse ait, verum inconsulta præripuit, hoc quoque poema roganti fratri, at ipse mittit. Etenim libri infirmitatem, quamvis propter piam propositi operis causam poetarum ritu modeste excuset, haud difficulter agnosces Avitum melius de hoc carmine quam de aliis sensisse.

Id unum tantum rogat fratrem, scilicet ut hunc libellum vel de religione parentum communium, vel de virginibus *familiæ familiarius* tractantem meminerit Apollinaris illis tantummodo legendum dare vel vinculo propinquitatis vel religionis fide cum ipso adnexis. Mox addit se versibus nunc valedicere : « Sane a faciendis versibus pedibusque « jungendis pedem de cetero relaturus nisi forte evidentis « causæ ratio extorserit alicujus epigrammatis necessi« tatem. Cujus tantam exiguitatem fore polliceor, ut ei « aliud nomen assumere nec ipse præsumas. Decet enim « dudum professionem, nunc etiam ætatem meam, si quid « scriptitandum est, graviori potius stylo operam ac tempus « insumere, nec in eo immorari, quod paucis intelligen-

« tibus mensuram syllabarum servando canat, sed quod « legentibus multis mensurata fidei adstrictione deser- « viat[1]. »

Quod poema tum ob convenientes inveniendi et dicendi virtutes, tum præcipue ob materiam ipsumque operis propositum, magna apud scriptores priscos laude viguit. Quum enim virginitas in primis christianæ religionis seculis maximi fieret, liber qui legem ab Ecclesia datam, quum religionis nomine tum et versuum illecebris commendabat, summo in honore haberi debebat. Tunc temporum enim, non tam carminum elegantia visque poetica, quam pia scriptoris sententia probabatur. Quapropter, omnium judicio celebratum est hoc poema[2], quod detractis paucis quæ ad Fuscinam aliasque huic cognatas virgines tantum pertinebant, ad universas puellas Deo vel devotas vel devovendas jam spectabat.

Nostris autem temporibus maxima parte perierunt virtutes quibus pretium addebatur Aviti poemati, et ea tantum animadvertimus et judicamus, quæ et ipsius scriptoris et lectorum judicio minoris olim fiebant at quæ non christiani sed poetæ sunt. Attamen nonnulla sunt adhuc etsi pauciora solito quæ probes, et in quibus nec quærentem inventio nec dicentem elocutio defecerint.

Quadam enim delectatione non carent ea quæ Avitus de prima Fuscinæ sororis ætate narrat, dum nonnulla de patre, de matre refert, qua fuerit candida veste ornata memorans, vel quibus verbis eam, ut se Christo devoveret,

[1] Hunc locum jam partim a nobis commemoratum et explicatum in capite quarto licet invenire.

[2] « Scripsit et ad Fuscinam sororem *De laude virginitatis* librum « unum, pulcherrimo compositum carmine et eleganti epigrammate « coaptatum. » (Isidorus Hispalensis, *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, c. XXIII.)

hortata sit mater Audentia. In his enim deprehenditur amantissimum Aviti erga sororem pectus, et mixta reverentiæ pietas. Scilicet virginem Deo devotam, quamvis pontificatus munere decoratus, quamvis natu major, ita venerabundo studio circumdat, ut præstantiorem se hortationibus videatur informare. Attamen non tam exposita virginitatis excellentia quam pictis matrimonii incommodis sororem solatur Avitus.

Non orbata gemes fecundæ pignora vitæ[1].
Nec viduam sponso metues superesse perenni
Expers ipsa mali . . . .
Quæ subjecta viro, dominum passura cubilis,
Servit in obsceno tolerans connubia lecto,
Sic captiva tori, cum portet nomen inane
Conjugis, et vana dicatur imagine consors,
Sola jugo premitur non æquam ducere sortem.
Et cum longa decem tulerint fastidia menses,
Perfectoque gravis fetu distenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam quum luctato solvuntur viscera partu,
Una luit, tanto carnis discrimine pendens,
Quod coiere duo. Spes palpat forte dolentem,
Editus in lucem si vivat filius; atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat...
. . . .
Quique, genitricis cessat quum filius esse,
Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.

Nonne his audacibus et asperis versibus agnoscitur qui, connubii non erat exspers, at qui, ob causam nobis ignotam sed acerbam mœstus exclamabat, ut vidimus supra in epistola XLIX : « Nec multos filios habere me negabo, qui « unum ex his peperisse jam doleo[2]? » At quantulum

[1] Lib. VI, vers. 165-196.
[2] Cap. I.

pondus habeant hæc argumenta, monstrat crescens continuo per orbem et in secula humanum genus. Nulla muliere tam longo intervallo connubii calamitates prævidet; quæque enim sperat, imo pro certo habet se illis immunem semper futuram esse.

Hæc est prior, ut ita dicam, pars poematis. Nempe expositis his omnibus, quæ proprio et peculiari modo ad Fuscinam pertinent, ad ea exempla aut præcepta transgreditur, quæ eam quam maxime movere possint. Hinc multi digressus vel si malis, *epeisodia,* pia sane, et maximi olim æstimata, sed plura et longiora, imo proposito nonnunquam nec convenientia nec hærentia. Sic, ut Christum mulieres non aspernatum esse at pluris etiam quam viros fecisse ostendat Avitus, narrat Christum a morte resurgentem mulieribus prius apparuisse et eas discipulis misisse quæ surrexisse magistrum nuntiarent. Mox, quo acrius nitatur soror, ne munus divinæ gratiæ turpia deperdant otia, cœlestem hunc regem memorat, qui, proficiscens servis suis quinque minas, aut duas, aut unam, ut quisque valebat, dedit; redux autem eum laudat qui commissum aurum utili opera auxit, eum autem vituperat qui integrum conservavit. Nec Deboræ exemplum et fortitudinem, nec ficus sterilis parabolam, nec virgines castas vagasve, nec Josephum, nec Suzannam a Daniele accusantibus senibus ereptam, obliviscitur; necnon Eugeniæ [1] virtutem narrat quæ, habitu virili sumpto, ad Abbatis dignitatem evecta, stuproque virginem temerasse accusata, præstantissimum egit triumphum ubi patuit sexus.

Inter hos digressus, multi sunt versus quos merito laudes, sed prava ista dispositione opus omne perit. Non quod

[1] Legendam narrat Avitus de illa Eugenia, in quinto seculo celeberrima.

excursus ab omni parte vituperem, non ita; hoc tantum vitio vertendum esse Avito existimo quod alterum digressum alteri ita conjunxerit, ut assutus unus et alter pannus videatur, ut tot et tantis rebus impediti lectores quo jam spectet poeta, nesciant. Sic, quum liberatam a Daniele Suzannam narrare aggreditur Avitus, tot versibus prophetæ pueritiam servatumque ipsum a flammarum et leonum furore adolescentem, et mira facientem dicentemque pingit, ut non solum Fuscinæ sed etiam Suzannæ immemores fiamus.

Concludit tandem opus, ubi revocavit quibus verbis Martham famulantem dolentemque quod soror otiaretur, ipse castigaverit Christus.

> Sunt plurima quæ te
> Obstrictam retinent : melior sed causa quietis ;
> Lectaque nec poterit Mariæ pars optima tolli[1].

Melior sed causa quietis ! His verbis sororem suam hortatur episcopus ad fugiendos vitæ labores, laudatque quod partem præstantiorem elegerit : *Melior sed causa quietis !* Hoc cecinere christiani priores, hæc fuit cunctorum per medii ævi ætatem sententia ! *Melior sed causa laboris !* Hoc recinunt recentioris ætatis populi ! hoc nunc in mente habent.

Illud est igitur poema quod ex operibus suis præstantissimum esse Avitus existimabat, quod ipse unice diligebat, hac sine dubio pietate deceptus, qua, ut parentes ultimam et debilem sobolem, ita scriptores ultimum et sæpe infirmissimum opus, potissimum prosequuntur. Nobis autem minus quam cetera ejusdem carmina hic liber placet quum

[1] Lib. VI, vers. 643.

frigidior sit et languidior. Exceptis enim quæ ad Fuscinam proprie pertinent, vel quæ de sua familia refert Avitus, nihil recte dignum apparet quod legentis animum accendat. Abest præterea vera castitatis laus, et probus rerum ordo frustra desideratur, quum tot parabolæ tam incondite congerantur, ut quid sibi velit poeta, legentes effugiat.

CAPUT VIII.

DE ELOCUTIONE APUD AVITUM.

CONCLUSIO.

Si ad elocutionem spectes apud diversa Aviti opera prosa oratione scripta, sive epistolas, sive homilias, sive homiliarum fragmenta quæ supersunt, pauca dicenda sunt, et jam sæpius dicta fuerunt supra. Etenim, quum in rudi ætate vivat Avitus, quum apud impolitos ignarosque verba facere debeat, et faciat, communi dicendi genere utitur, et illud inhumanissimum et maxime incultum fuisse fateamur necesse est. Ipse, in præfatione ultimi *De Virginitate* poematis, se versibus valedicere ait, quod a paucioribus intelligantur et ea tantum jam se scripturum affirmat quæ a multis legentibus possint comprehendi. Nec mirum est eum a suis civibus intelligi velle quos et informare et christianam fidem docere sibi proposuit, ad episcopatum evectus. Quin etiam, si ita perpolitus et eruditus esset, ut communibus orationis vitiis ipse solus natura careret, in ea ultro incurreret, ne nimia scriptorum elegantia, sua eloquentia irrita evaderet.

Supervacuum igitur existimo ea proferre verba, easque verborum juncturas quæ, apud Aviti opera metro soluta, barbarum sermonem testantur : abunde sunt, ut quis quamdam eorum notionem habeat, quæ supra exprompsimus epistolarum loca. Scilicet, ad ignaros sæpius, de vere abstrusis rebus, ut de hæreticorum erroribus scribit. Qua-

propter e solœcismo in barbarismum incidit, et laxis habenis in ea linguæ vitia adeo præceps incurrit, ut intelligi quid dicere velit, semper sit difficile, nonnunquam etiam operam tuam perdas, sphingemque illam ad alterum Œdipoda (si quis tamen sit) mitti sit necesse.

Attamen providendum est ne nimiam in reprehendenda Aviti oratione severitatem adhibeamus. Etenim, quamvis plurima in ejusdem epistolis non modo rusticitatis, sed etiam barbariæ vestigia ubicumque invenias, sunt nonnulla quæ merito laudes. Scilicet scribentem ad Chlodovæum (ut exemplo utar) longas illas, quas vidimus, litteras, non animi deficiunt neque nervi. Forsan « grammaticæ tribus » vitiis multis « atrum signum transverso calamo illinent, » at litteratus vir quisque plurima et eximie cogitata et aptissime dicta debita laude prosequetur. Qui enim scripsit : « Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, vestra fides nostra « victoria est... Quum se Dei servis inflecteret timendum « gentibus caput, quum sub casside crines nutritos salutari « galea sacræ unctionis indueret... successus felicium « triumphorum quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas : quotiescumque illic « pugnastis, vincimus... » Qui, inquam, illa scripsit, non vi, neque dicendi impetu caret. Lingua barbara quidem utitur, at ipse excelsos et vehementes præ se fert sensus, invehitur aliquando, et si forte se dederit occasio, si magni res ponderis occurrerint, easdem elata et gravi oratione haud impar exprimit. Peritissimum musices artificem dicas qui organa læsa et minus idonea vel rustica adhibet invitus : quæ pravos et discordes sonos præbentia, interdum cogit modulate et graviter canere.

Attamen, si ad poematum elocutionem respicias, multo plura laudanda esse confitendum est. Non enim eadem versibus quæ sermone pedestr effingit Avitus. Longe absunt

theologicæ disputationes et novæ illæ res novis explicandæ vocabulis. Nova quidem et christianæ fidei convenientia celebrat episcopus, at quæ non invitus pingit sermo latinus. Nempe effingendis paradisiaci horti deliciis, vel homine creato, vel mundi diluvio describendis non repugnat lingua quæ auream ætatem, vel orbem informatum, vel Deucalionis diluvium cecinit. Ipsi adsunt auctores, vel Virgilius, vel Ovidius, vel tot alii, suo exemplo christianum poetam instituri et versibus suis adjuturi. Quoties autem insolita et veteribus ignota poetis proferenda sunt, non hæc sunt tanti laboris, tanquam in theologicis controversiis, ut impedimenta superare, nodosque explicare non valeat auctor, scribendi non insuetus. Addendum est denique mirum illud et peculiare poeseos munus, quæ, longe ante sermonem pedestrem scriptis mandata, diutius quam ille, fere integra manet et incorrupta. Etenim quum sententiam certis includere numeris poeta aggreditur, hac ipsa ineluctabili necessitate vitiosa sæpius recidere et inhumanioris notæ verba repudiare cogitur, nec sermone communi, nisi mutato magna ex parte et castigato, illi uti licet.

Purior igitur et elegantior in poematis quam in homiliis et epistolis Aviti oratio est; purior etiam Dracontii, Marii Victoris, aliorumque poetarum operibus. Major enim in Avito doctrina, major profanarum litterarum et antiquorum poetarum experientia, major præsertim ingenii vis. Attamen ætatis vitiis non est omnino immunis, nec is erat, nec alter esse poterat qui ea vitare valeret.

Idcirco, non desunt solœcismi verbaque nova quorum exempla aliquot infra sunt[1] :

Perinundat ;

[1] Hæc verba apud alios quoque scriptores licet invenire, at his Avitus vel sæpissime utitur, vel dat novam significationem.

Protoplastorum[1];
Transgressor (præ dæmone valens);
Incantans (idem ac magus valens)[2];
Adjurator;
Figulus (pro creatore), etc.

At hæc enumerare inane, quum cuique perspicuum sit, quamvis pauciora quam in epistolis, plurima tamen in versibus Aviti offendi debere hujus generis vitia.

At ipsi versus, si ad metrorum legem, et aliorum poetarum hujus seculi opera spectemus, aptissime conditi sunt. Numeros enim Avitus et numerorum jura optime servat : semper cæsura, semper dactylus ultimus cum spondæo stabili adest, paucaque sunt in quibus priorem syllabarum numerum non servaverit Avitus, et ita pauca ut pæne cuncta infra invenire liceat.

Lib. I, vers. 32 : Elatæ īn̄ altum. Non corripit *in*.
vers. 281 : Ōbex. Producit syllabam tanquam *objex* dixisset.
Lib. II, vers. 180 : Stātim pro stătim.
vers. 198 : Continĕ pro continē.
Lib. III, vers. 196 : Rĕjecit pro rējecit.
vers. 261 : Nēc ejus pro nĕc. — Idem vers. 310.
vers. 366 : Invenĭs accensis pro invenīs. — Idem vers. 400.
Liv. V, vers. 284 : Hŭīc pro hūīc.
vers. 449 : Erĕmi pro erēmi.
Liv. VI, vers. 138 : Platēa pro platĕa.
vers. 506 : Fīĕrĕt pro fĭĕrĕt.

Si qua effugerunt, ea paucissima esse pro certo habemus.

Præterea apud Avitum reperire est, at non ita multa, hæc vitia quibus in degeneribus seculis laborant scriptores, sed quæ sibi ultro laudi vertunt. Sic repetitis sæpius

[1] Hoc Tertullianus jam usus erat.
[2] Idem.

iisdem syllabis aut litteris gaudet uti Avitus, ut infra :

> Tunc *inclusa latet lato* sub gurgite Memphis.
> (Lib. I, vers. 270.)
>
> *F*udit di*ff*idens e*ff*eta puerpera *f*etum.
> (Lib. IV, vers. 212.)
>
> *F*ecundata novum quum *f*erret *f*emina *f*etum.
> (Lib. VI, vers. 60.)

Nonnunquam iisdem vocibus utitur sed diversa significantibus, ut quæ de Christo dicit :

> *Penderet* nexus, culpas dum *penderet* orbis.
> (Lib. I, vers. 163.)

Vel contrariis contraria pueriliter opponit, ut hæc de primo parente quem nudi corporis pudet, quique foliis se tegere nititur :

> Assuit, et *viridi* solatur veste *ruborem.*
> (Lib. III, vers. 15.)

Quæ vitia, ut diximus, cunctis hujus seculi scriptoribus communia, rariora tamen apud Avitum offenduntur. Quod autem ad pravi judiciis sententias, vel ad infelices digressus, aut ad cetera malæ dispositionis vitia attinet, in uniuscujusque libri disquisitione jam dictum est.

Magnam igitur personam, ut jam dicta contrahamus, Avitus in quinto seculo gessit. Nobili enim Arvernensi familia ortus, non se inerti otio corrumpendum dat, nec docile barbarorum dominorum jugo caput submittit. At contra, quum se illis ingenio et doctrina et fide catholica præstantiorem sentiat, tentat si qua via in illos possit dominari. Mente tantum et pio religionis studio fretus, se prospere cessurum pro certo habet. Ad episcopalem sedem evectus,

interiorem diœcesim, ut pastor prudens at propositi tenax, primo administrat, mox Burgundionum regem convertere aggreditur. Repulsus semper, at nunquam defatigatus, tandem pertinacia perficit ut ipsum filium hæredemque arianorum patroni, ipsum callidi et sævi Gundobadi filium flectat, et ad catholicam fidem adducat. Nec satis : rerum externarum non rudis, converso Chlodovæo novam fidem gratulatur ultro, quum jam mente præsumat prospera quæque regis Francorumque conversionem secutura. Hunc laudibus extollit ; hunc unice fovet, sperans fore ut toti Galliæ olim imperare possit catholicus princeps. Postremo Ecclesiæ gallicæ tanquam patronus, modo ad papam romanum, modo ad Orientis episcopos, modo ad ipsum Orientis imperatorem, de publicis religionis rebus scribit. Nihil a se alienum putat, nec theologicas disputationes, nec græcæ aut romanæ Ecclesiæ dissensiones, his simillimus priscis Ecclesiæ Patribus qui cunctas christianas regiones scriptis aut orationibus suis regebant. At ille, totam Galliam, fidei publicæ tutela, fere gubernat ; et quamvis occisum Gundobadi filium, alumnum suum moriens lugeat, est ubi acquiescat, quum florentem, quam semper professus est, fidem per totam Galliam videat.

Non minores autem poetæ quam antistitis partes. Quam enim religionem assiduo tuitus erat patrocinio, plurimisque scriptis adversus hæreticos defenderat, eamdem versu exornare aggreditur Avitus, et per musarum lenocinia, in faciles animos christianorum tentat stillare. Multa sunt quidem quæ dicenti vitio vertas ; at non est omnis Aviti culpa, sed barbarorum, in quibus vitam agit, temporum, adeo plura sunt apud eum quæ jure probes. Idcirco principem inter hujus ætatis poetas locum obtinuit Avitus, nec immerito. Major enim in eo, quam in omnibus qui ante illum christiana poemata condiderunt, vis excogitandi et

inventa dicendi. Purè et emendate loquitur Viennæ episcopus, si ad illos respicias; imo, si ad solitos probæ latinitatis scriptores te conferas, non est omnino negligendus. Postremo, quum rem versibus celebraverit quam postea cecinit inclytissimus poeta, latinitatis peritissimus, operæ pretium erat cognoscere num posterior priorem imitatus esset, et uter utri præstaret.

Has propter causas, dignus nobis visus est Avitus cujus scripta cuncta, non modo ea quæ episcopus, sed etiam quæ poeta condidit, libello hoc, informi fortasse, at cum attenta cura composito disquirerentur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a d. V kal. jul. ann. MDCCCLXIII.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.

INDEX CAPITUM.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

FINIS INDICIS CAPITUM.

Parisiis. — Ex typis Hennuyer et Filii, via dicta du Boulevard, 7.